



**Sophismata F. Turriani monachi ex eorum sodalitate qui  
sacrosancto Iesu nomine ad suae sectae inscriptionem  
abutuntur : collecta ex eius libro De ecclesia, &  
Ordinationibus ministrorum ecclesiae aduersus capita  
disputationis Lipsicae. Quibus singulis subiecta est perspicua  
& vera solutio ex praeceptis recte & theologice disputandi  
petita**

<https://hdl.handle.net/1874/422689>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:**

- de rug van het boek
  - de kopsnede
  - de frontsnede
  - de staartsnede
  - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**More information on this collection is available at:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:**

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board














E. oct.

274<sup>2</sup>.



[ex dono Buchelii]

gel. E. 20 274 2/

*Sophismata*

F. TVRRIANI  
MONACHI EX EORVM  
SODALITATE QUI SACRO-  
SANCTO IESV NOMINE  
ad suæ sectæ inscriptionem  
abutuntur :

*Collecta ex eius libro De Ecclesia, & Ordinatio-  
nibus Ministrorum Ecclesie, aduersus capita  
disputationis Lipsica.*

QVIBVS SINGVLIS SVBIECTA  
est perspicua & vera Solutio ex præce-  
ptis rectè & Theologicè dispu-  
tandi petita.

AVTHORE ANTONIO SADEELE.



Apud Petrum Santandream,

M. D. LXXVII.

2000

LIBRARY

MONACHI EX BOVM

1800

1800

1800

1800

1800


1800

1800

1800

1800

1800



1800

1800



ILLVSTRISSIMO ET  
POTENTISSIMO PRINCIPI,  
AC DOMINO, DOMINO WILLELMO  
Landgrauiο Hassiæ, Comiti in Katzeneln-  
bogen, Dietz, Zigenhaim, & Nidda, &c.  
Domino suo clementissimo.

**Q**VM in manibus habere Fran-  
cisci Turriani Iesuitæstri cuius  
dã librum, De Ecclesia & or-  
dinationibus Ministrorũ Ecclesiæ, Illu-  
strissime Princeps, fauorem & beneuo-  
lentiam C. U. mihi detulit vir doctissi-  
mus ac celeberrimus (cuius ingenium  
atque eruditionem singularem non sine  
causa plurimi facis) cum ad nos ex aula  
C. U. redisset. Quam tantam erga me  
Principis Illustrissimi clementiam ac be-  
nignitatem non tantum apud me colere,  
sed etiam prædicare, & quibus modis po-  
terò perpetuò celebrare decreui: ne mihi  
obiici possit, quod vetus Poeta quereba-

PRÆFATIO.

*tur, παλαὰ εἶδες χάρις, ἀμνάμονες ἢ βροτοί.*  
 Itaque existimaui oblatum esse mihi ar-  
 gumentum, quo testari possem eam obser-  
 vantiam ad quam me sibi C. V. perpe-  
 tuò deuinxit. Cùm enim Turrianus illo  
 suo scripto non solum omnes purioris Ec-  
 clesie Ministros acriter infectetur, sed  
 etiam Illustriss. Germaniæ Principes qui  
 veritatem Evangelicam profitentur, mul-  
 tis locis Iesuatica impudètia perstringat:  
 non potui abstinere, quin hoc libello com-  
 munem piorum omnium causam defen-  
 dens, ea simul diluerem quæ ille temerè  
 & impudenter (qui Monachorū huius  
 seculi mos est) Illustriss. Principibus obie-  
 cit. Quod tamen meum institutum non in  
 eam partem accipi velim, quasi nesciam,  
 quàm abundet Germania viris doctis  
 & acribus Euangely propugnatoribus,  
 atque omni disciplinarum genere excul-  
 tis. Nec sum a deo meæ tenuitatis igna-  
 rus, ut vnus vel audeam, vel audere de-  
 beam virorum præstantissimorū causam  
 suscipere

PRÆFATIO.

suscipere: non minus quàm si tyro quidam  
 ad Achillem tuendum in medium pro-  
 dired. Occurrit enim illud, ἀπρέμας ἦσο, ἢ ἀλ-  
 λων μύθον ἀνε: οἱ σέο φέρτεροί εἰσι. Deinde nō  
 dubito quin Illustriss. Principes iampride-  
 m aures suas istiusmodi Monachali-  
 bus declamationibus occluserint, quas ali-  
 quando præstat virtute obtinere atque si-  
 lentio, quàm multis verbis refellere. Rectè  
 siquidem Chrysostomus obtrectatores ap-  
 pellavit Præcones nostræ patientiæ. Quæ  
 omnia quanquam verissima, non me ta-  
 men ab instituto reuocare potuerunt: imò  
 potius speravi hoc meum Symbolum &  
 hanc operam quantumlacunquæ sit, non in-  
 gratam fore U. C. nec eruditissimis  
 mihi que plurimum obseruadis Ecclesia-  
 rum Germaniæ Doctoribus. Eò enim  
 spectauimus, vt hoc libello non tam Tur-  
 rianum refutare, quàm doctissimis & cla-  
 rissimis Germaniæ Doctoribus Turria-  
 num refutatibus, subscribere videremur.  
 Huc etiam accedit, quod ille identidem



PRÆFATIO.

*inculcat, Ecclesias quæ ex Lutheri radi-  
 ce surrexerunt non inter se coherere, nec  
 communi Religionis vinculo esse colliga-  
 tas, sed perpetuis dissensionibus laborare  
 atque conflictari: adeò vt bene sperare  
 iubeat Pontificios, cum hostes parùm in-  
 ter se coniunctos habeant. At enim hic  
 noster libellus erit testis quàm coniunctis  
 viribus omnes nostra Ecclesia in Ponti-  
 ficios impetū faciant, ne sibi isti Monachi  
 & Monachis nequiores Iesua stri, falsa  
 quadam spe victoriæ blandiatur. Præterea  
 quū antè aliquot annos hoc ipsum argu-  
 mētum de legitima Pastorum nostrorum  
 vocatione tractauerim, existimaui me ni-  
 hil alienum ab officio facturum, si nouum  
 hunc hostem idem certamen instauran-  
 tem exciperem, ne fortè meo silentio qui-  
 busdam videar scutum ad tergum reiecisse.  
 Quòd autem hic agere scholasticè cum  
 Turriano, in causa est disputatio Lipsiæ  
 habita, aduersus quam impurus ille Syco-  
 phanta & Iesuitaster impudens suum li-  
 brum*

P R Æ F A T I O .

brum edidit. Ità igitur visum est cum eo  
differere, ut si præsens in Lipsensi Aca-  
cademia sisteretur. Neque moror ineptos  
quosdam homines, qui præcepta rectè di-  
sputãdi à Philosophis tradita, & ipsum  
ἰσχυρῶς καὶ εὐσεβῶς superbe & ἀπαιδευτῶς reijciunt.  
Nã præclare Nazianzenus in laudem  
Basily: Nō idcirco contēnenda est erudi-  
tio, inquit, quòd ita quibusdam videatur.  
quin potius insulsi atque præposteri ha-  
bendi sunt qui hoc existimant, omnesque  
sui similes esse optarint, ut priuata eorum  
ignorantia communis ignoratiæ tenebris  
obtegatur, ne quisquam ipsorum inscitiam  
prodat & coarguat. Hoc igitur meum  
consiliũ, si, ut confido, C. V. probauerit,  
& hoc munusculum benignè accipere di-  
gnetur, cum me in posterum ad eiusmodi  
certamina subeunda alacriorem reddet,  
tum verò sibi deinctissimum, nouo bene-  
ficio ac fauore pro sua singulari benigni-  
tate ornabit: cui ego meum omne stu-  
dium, obsequium & perpetuam obser-  
uantiam

PRÆFATIO.


uantiam offero. Dominus C. U. suo Spiritu perpetuò regat, Illustrissime Princeps, & in vera pietatis doctrina magis magisque confirmet, & diu incolumem Ecclesiæ felicissimè conseruet. Ex Museo nostro, die sexta Martij, M. D. LXXVII.

Illustriss. C. U.

Obsequentissimus, & obseruantissimus,

Antonius Sadeel.






*Errata sic corrigito: numerus prior paginam,  
posterior lin. denotat.*

Pag. 7. lin. 6. dici Ecclesiam 16. 31. ἀνάλογος 19. 24.  
cum pudore 23. 9. Respondet, 24. 19. Apostolis,  
ausis non 30. 29. successorem? 37. 22. assentire  
38. 29. χῆμα τῆς 50. 27. sed (Iesuit. 51. 8. no-  
uam pl. 66. 12. ἐνεργεία 87. 28. ὤνη.

SOCIETY OF THE  
 ...  
 ...  
 ...

I.	...
II.	...
III.	...
IV.	...
V.	...
VI.	...
VII.	...
VIII.	...
IX.	...
X.	...
XI.	...
XII.	...






*LOCI EX QUIBVS TURRIANUS  
argumentatur aduersus Ordinationes  
quæ fiunt in Ecclesijs Pro-  
testantium.*

I.	Matth. 18.	pag. 4.
II.	Matth. 16.	pag. 15.
III.	Iohan. 20.	pag. 46.
IV.	Act. 10. & 11.	pag. 56.
V.	1. Petr. 3.	pag. 62.
VI.	Ezech. 34.	pag. 69.
VII.	• Corinth. 12.	pag. 78.
VIII.	Hebr. 10.	pag. 97.
IX.	Esa. 59.	pag. 110.
X.	Matth. 28.	pag. 127.
XI.	Esa. 1.	pag. 141.
XII.	1. Tim. 4. 5. Act. 13. Tit. 1.	pag. 147.





## S Y M M A T O T I V S D I - sputationis.

*Υποτίθησκον Turriani: ordinationes Protestantium esse irritas, nullas, & merè Laicas.*

*Τὸ μὲν ἄνθρωπον assumptum ad huius Propositionis confirmationem: Romanum Pontificem esse caput visibile visibilis Ecclesiæ: Et sub eo capite continuam esse debere ordinariam Episcoporum successionem.*

*Complexum est eiusmodi: Omnes legitima ordinationes nituntur ordinaria Episcoporum successione, sub visibili totius Ecclesiæ capite Pontifice Romano.*

*Nullæ autem Protestantium ordinationes tales sunt: Quare nullæ Protestantium ordinationes sunt legitima, sed, ex ratione cōsequentiis irritæ, nullæ, & merè Laicæ.*

*A D S V P E R I O R I S S O P H I S -  
matis solutionem sequentia capita suis  
quæque locis tractabuntur.*

**V**T Medium assumptū à Turriano tollatur, docendum est, Rom Episcopum nō esse caput visibile Ecclesiæ & Primatū Rom. Pontificis non Scripturę testimoniis, sed humanis tantum institutis confirmari.

**C**ontrā: Expressis Scripturæ locis euin-



cendum est, Christum esse vnicum Ecclesiæ caput : & qui aliud secundarium Ecclesiæ vniuersæ caput constituunt , eos non tantum in Theologia *Ψευδογραφεῖν*, verumetiam apertè *βλασφημεῖν*.

Locorum aliquot Scripturæ à Turriano deprauatorum, verus ac genuinus sensus ex ipsa Scriptura proferendus.

Atque vt veritas dilucescat, explicandæ sunt *ὁμωνυμίας* quæ sæpe occurrunt in hac Disputatione.

• Ipsum Ecclesiæ nomen exponendum , & docendum est, quid Ecclesia catholica à singulis & particularibus Ecclesiis differat.

Discutiendum, num rectè Ecclesia catholica, visibilis dici possit.

Explicandum nomen Successionis : vt *ὀνοματώδης* ab *ἑσώδης*, & adumbrata ac titularis tantum successio , à vera legitimâque successionem discernatur. Item successio doctrinæ à successione Ministeriali distinguenda.

Proponendæ sunt variæ mutationes quibus Ecclesiæ status visibilis est obnoxius, & ipsa Ecclesiæ substantia ab exteriori & visibili forma distinguenda.

Quærendum, rectè nec dici possit ordinaria successio, quando ordo Ecclesiæ collapsus est.

Quo pacto dicendæ sint extraordinariæ vocationes eæ quibus ordo collapsus instauratur.

Quidnam dici possit ordinariū, quidve extraordinarium fuisse in iis qui Ecclesiam hac

hac ætate ex præscriptis Apostolicis reformarunt.

Confirmandum est, Episcopum eundem planè esse cum Presbytero iure diuino, adeò vt nõ minus Presbyteri quàm Episcopi ius ordinandi habeant.

Pontificios de Ecclesia catholica per vniuersum terrarum orbè diffusi falsò gloriari.

Ne ipsos quidem Pontificios habere ordinariam successione, sed solum successione simulachrum, in ordinationibus Ecclesiasticis, siue ordinandi formam, siue ipsius Ministerij functionem spectes: adeò vt Turriani Medium non modò falsum sit, vt quod falsis principiis nitatur, sed etiam ineptum, cum sit commune, & facilè in Sophistæ caput retorqueri possit.

Ita euerso Turriani Argumento, & discussa Sophistica nebula, substituenda est vera & aperta hæc ἀντίφασις.

Omnes ordinationes quæ legibus & præscriptis Apostolicis atque expresso Dei verbo nituntur sunt legitimæ. At ordinationes quæ fiunt in Ecclesia Reformata sunt eiusmodi: Quare Ecclesiæ reformatæ ordinationes sunt legitimæ: &, ex ratione consequentis, ratæ, veræ, & merè Ecclesiasticæ.



## LOCVS PRIMVS MATTH. 18.

**D**ic Ecclesiæ, si autem Ecclesiã non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus, &c. Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

Pagina 10.  
libri Turriani.

*Sophisma Turriani.*

*Ecclesia est cœtus & congregatio fidelium qui in nomine Domini cōgregati sunt: illi vero demum in nomine Domini congregantur qui ab Episcopo suo congregantur, atque ita vt Ecclesiæ quæ vna Catholica est, & Præposito eius, nempe Pontifici Romano adhæreant. Quod cum de Protestantium Ecclesiis dici non possit, efficitur, eas non esse veras Ecclesias, & ordinationes quæ in illis fiunt, non esse Ecclesiasticas.*

*Solutio superioris Sophismatis.*

Fundamentum disputationes.  
Ecclesiæ definitio à Turr. proposita.

**H**oc Argumentum Turriani ductum ab Ecclesiæ Definitione primo loco recensui, vt ita verum huiusce disputationis fundamentum substerni possit. Definit autem Ecclesiam, fidelium cœtum & congregationem factam ab Episcopo sub vno visibili capite, nempe Pontifice Romano: ex quo infert nostras Ecclesias, cum eo modo non sint congregatæ, non esse veras Ecclesias. Respōdeo,

vocabu-

vocabulorum ὁμωνυμίας esse remouendam priusquam illa rectè definiiri possint. Itaque nomen Ecclesiæ (quatenus quidem huic disputationi conuenit) à sacris scriptoribus variè solet vsurpari. Primum enim significat cōgregationem electorum Dei, vt 1. Timoth. 3. Ecclesia est Domus Dei, columna & stabilimētum veritatis. Ephes. 5. Ecclesiam non habētem maculam aut rugam. Et paulò post, Mysterium hoc magnum est: de Christo & de Ecclesia. Et 1. cap. Ecclesia est corpus Christi, completum eius qui omnia implet in omnibus: & si qui sunt loci consimiles. Deinde Ecclesiæ nomen tribuitur singulis & particularibus Ecclesiis, in quibus ordo Ecclesiasticus ex Dei verbo institutus est: cuiusmodi fuit Ecclesia Corinthiorum, Ephesiorum, Thessalonicensium, &c. quibus singulis tribuit nomē Ecclesiæ Paulus. Atque ita poscente loquendi vsu, nomen Ecclesiæ indefinite vsurpatum, significat vnāquamque ex Ecclesiis particularibus: vt 1. Corinth. 10. Estote sine scandalo Iudæis & Græcis, & Ecclesiæ Dei. Hæc de nomine Ecclesiæ. Rursus dictio, fidelis, ὁμωνύμως dicitur, Nunc enim conuenit solis electis: vt 1. Tim. 4. Nunc iis omnibus qui Religionem Christianam profitentur, vt 1. Corinth. 7. &c. Postremò Congregationis vocabulum habet etiam ὁμωνυμίας, quandoquidem modò ipsos congregatos, modò actionem congregantis significat.

Ita igitur discussis Homonymiis, quero ex te, Turriane, quam Ecclesiam hoc in loco

Homonymia vocabuli Ecclesiæ.

Homonymia vocabuli Fidelis.

Homonymia vocabuli Congregationis.

Definitio à Turriano proposita discutitur.

Ecclesia.

definias : electorumne? At loqueris de Ecclesia ab Episcopis, Apostolorum successoribus, & ab ipsis Apostolis congregata: constat autem Apostolos non solos electos congregasse, sed simul etiam multos hypocritas qui ad electionem Dei non pertinebāt: nam Apostolica prædicatio similis fuit sagenæ iactæ in mare, & quæ ex omni genere congregauit, vt constat ex Christi verbis. Matth. 13. Ergo nõ definis Ecclesiam electorum, alioqui definitio erit latior definito, quod vetant eæ regulæ, in quarum cognitione & vsu videri cupis imprimis versatus, qui tertio quoq; verbo Protestantes in arenam disputationis prouocas. Quid ergo? aliquamne particularem Ecclesiam definis? id verò negas, cum indefinitè loquaris. Restat igitur vt eam definitionem proponere volueris, quæ vniciuque ex particularibus Ecclesiis conueniat. Hoc igitur primùm requiro in tua definitione quod non addideris, te de visibili Ecclesia loqui, vt omnis Homonymia tolleretur. Tu verò (vt ex serie huius disputationis patebit) data opera ita loquutus es, vt quoties ea quæ sunt Electorū Ecclesiæ propria, cum Ecclesia visibili confunderes, facilius posses sub velo ὁμωνυμίας latere.

Fidelium.

Ais præterea hanc cōgregationem esse fidelium, quæ dictio non minus etiam fuit explicanda: iam enim suprâ confecimus in definitione Ecclesiæ visibilis, fideles intelligi, nõ solos electos, sed eos omnes qui veram Religionem profitentur. At vera religio postulat pu-

lat puritatem doctrinæ, synceram Sacramentorum administrationem, rectam inuocationem nominis Dei, & cætera eiusmodi quæ sunt ad veram religionem cõstituendam necessaria. Ex quo efficitur iis omnibus deficientibus, non posse dici Ecclesia: quia eiusmodi congregatio non erit fidelium congregatio, id est, eorum qui profitentur veram religionem, vt diximus. Ita facilè cõcludimus falsum esse quod initio dixisti, Ecclesiã fuisse ante Prophetica & Apostolica doctrinam, id est, ante verbum Dei ab hominibus receptum. Nam si Ecclesia est congregatio fidelium, & fideles dici non possunt absque fide, neque fides potest absque verbo Dei consistere, consequitur verbum Dei esse prius Ecclesia. Quod si ad leges rectè disputandi respexisses, vidisses Ecclesiam referri ad verbum Dei, tanquam τὸ μέγιστον τῶν τῶν μέγιστον: hoc autem esse prius illo.

Ecclesia  
nõ fuit ante  
Prophetica  
doctrinam.  
pag. 2.

Sequitur porro in tua definitione, fideles esse in Christi nomine congregandos, ex hoc Matthæi loco cap. 18. Si duo ex vobis consenserint, &c. Et 1. Cor. 5. vobis & meo Spiritu congregatis. Verùm Christus illic loquitur de ipsa cum animorum tum corporum coniunctione, ac præsertim de cœtu Ecclesiastico, cuius fructum promittit fore præstantissimũ. Sed cum Ecclesiastici cœtus non semper ac iugiter habeantur (non enim id patitur humanæ infirmitatis ratio) quæro num propterea Ecclesia, id est, fidelium congregatio esse desinat? minimè sanè: video igitur

Congregatio.  
Exponitur  
locus Mat-  
thæi 18.

te perperam fidelium cōgregationem, id est, cœtum, ad actum ipsum congregationis restringere, *scilicet* cum *uoluntate* confundentem: atque ita longè resiliere à suscepta Ecclesiæ definitione. Illic enim Christus proponit, non Quid faciat Ecclesiā, sed, Quid ipsa Ecclesia faciat, quando in ipsius nomine congregatur ad offerendas preces, & ad exercendam Ecclesiæ disciplinā. Quare tua hæc fallacia in congregationis uocabulo latitans, fuit nobis digito cōmonstrāda, ne cuiquā imponat.

Quos Episcopus congregauerit.

pag. 10.

Error Turriani in Ecclesiæ definitione.

• Postremò dicis eos demum cōgregari in nomine Christi quos Episcopus congregauerit, atque ita, ut Ecclesiæ, quæ una Catholica est, & præposito eius adhæreant: horumque esse & dici Ecclesiā. Atqui, Turriane, est *admodum* in definiendo longè maxima, petere ueram definitionem ex rebus externis, ut ab instrumentali causa, nempe ab Episcopis Ecclesiam congregantibus, non autem ab ipsa rei definitæ substantia. Interim tam securè illud pronūtiās, quàm si expressum aliquem Scripturæ locum totidem uerbis recitares:

• hoc tamen præposterè dicitur, eos congregari in Christi nomine qui ab Episcopo congregantur, cum ita potius dicendum sit, eos demum ritè & legitimè ab Episcopis, id est, ab Ecclesiæ Ministris congregari, qui in nomine Christi congregantur: ut quod minus dignum est, à digniore, & instrumentum ab artifice pendeat. Sed iam audiamus locum Matthæi quem citasti cap. 18. Quæcunque ligaueritis in terram, erunt ligata in cælo, &c.

Argumentatio Tur-

• Quibus

Quibus dedit Christus potestatem eiciendi ex Ecclesia, inquis, eisdem dedit quoque potestatem congregandi Ecclesiam, vtratio consequentiæ postulat. Respondeo, primum hoc ineptum esse, initia Ecclesiæ quærere in doctrina Excommunicationis, quæ tum deum locum habet, cum Ecclesia iam constat suis omnibus partibus. Verum de his Christi verbis, & de tota hac quæstione fortassis aliàs. Nunc tantum hoc dico, te perperam omittere eam *ἀντίθετον* quæ est in contextu, nempe ligandi & soluendi, & aliam inuehere *ἐξω λόγου*. Ita igitur argumentum ex Christi verbis nectendum est. Ad quorum officium pertinet excommunicare, ad eos etiam spectat munus reconciliandi & recipiendi excommunicatos, post resipiscentiam. Quorsum autem hoc ad hanc nostram disputationem? Ipsum certè meridiem obscuras tuis te nebris. Nemo enim negat Ecclesiam Christianam fuisse primum ab Apostolis congregandam: quanuis id nō sequatur ex tuo argumento, sed ex his verbis: *Ite, prædicate.* Matth. 28. Cum autem dicas Ecclesiam esse quoq; ab Episcopis congregandã, quæro ecquonã pacto Episcopus congreget Ecclesiã? Si munus Episcopi hoc loquendi genere comprehendis, non satis propriè loqueris: quandoquidem Episcopi munus est, non tam congregare Ecclesiam, quàm eam congregatam alere, fouere, confirmare, & ea omnia præstare quæ recëset Apostolus, in Epistolis ad Timotheum & ad Titum. Verum maluisti ita

riani ex  
Matth. lo-  
co, discuti-  
tur.

pag. II.



loqui, nempe vt infidias frueres in illo congregandi vocabulo: quas vt detegamus, nobis explica quid tibi velis, cum ai Ecclesiam congregari ab Episcopo. An id fieri cum primum illic constituitur Ecclesia vbi non erat? verum id pugnat cum locis à te citatis: nam Christus loquitur de ordinariis Ecclesie cœtibus, vt antè dictum est: & de Pauli verbis. 1. Cor. 5. nullus est, ne ipsis quidē sophistis, dubitandi locus: alloquitur enim Corinth. inter quos ordo Ecclesie iam pridē fuerat institutus. Quinetiam tātum abest vt Episcopi dicantur propriè Ecclesias cōgregare, vt, eos potius dicat Paulus in ipsis Ecclesiis constitutos. Act. 20. Attēlite, inquit, gregē in quo vos Spiritus sanctus constituit Episcopos ad pacendā Ecclesiam Dei (non autē, ad congregandam) Neq; sanè leuis est error in Theologia, non distinguere inter Apostolos & ordinarios Ecclesie Pastores, vt patet Ephes. 4. Quòd si hoc cōgregandi vocabulo, quanquā impròpriè, ea tamē omnia intelligis quæ ad manus Episcopi pertinet, ergo deueniendū est ad purā Euāgelij prædicationē & administrationē Sacramentorū (vt suprà dicebamus) quæ omnia officio Episcopi continentur. Ita igitur aduersus Turrianum ex ipsius fundamento concludamus. Apostoli & eorū successores Ecclesiā congregarūt, & congregant in Christi nomine & hoc est illis *αρχοποι*. At Pontifex Romanus, & quotquot ex eius radice surgūt Episcopi, non modò non congregāt Ecclesiā in Christi nomine, sed eā

potius

Definitio.  
Turriani,  
Turriani  
nū ipsum  
refellit.

potius dissipāt, & à Christo abstrahunt, vt eā sibi suisque cōmentis addicant. Ergo Pontifex & eius Episcopi nō sunt Apostolorum successores: & Ecclesia ab iis cōgregata, non est vera Ecclesia, sed potius in eos quadrat quod ait Christus Matth. 12. Qui non congregat mecum, spargit.

Ex his quoque sequitur sophistam Turrianum non leuiter errasse, cū in initio libri sui dixit Ecclesiam non prius fuisse, quā Aaron pontifex factus esset, atque adeo non fuisse prius appellatam Ecclesiam, ex cap. 8. Leuitici. Nec enim debuit hærere in Græco vocabulo, sed venire ad ἀρχιερατος Hebraicum: ibi enim inuenisset vocabula ἱερ & κλη (quæ Græci per nomen ἐκκλησίας interpretati sunt) lōgè antea fuisse vsurpata: vt Exod. 12. 16. 17, &c. Quæ quidem vocabula ponuntur etiam in eo locō Leuitici quem citauit: adeo vt cū vellet Turrianus ē portu soluere, in ipso portu nauem fregisse videatur: sic enim pugnat & cum ipso Hebraico contextu, & cum doctissimis quibusque, qui cū ætates Ecclesiæ describunt, solent ab Adamo incipere, vt fecit Augustinus quæst. super Iudic. 49. ne dicam etiā perperā ipsam Ecclesiæ substantiam, cum eius exteriore forma, fuisse hoc pacto à Turriano cōfusam.

Superest in tua definitione limitatio, sine qua negas vllam Ecclesiam esse posse: atque ita congregantur, inquis, vt Ecclesiæ quæ vna Catholica est, & preposito eius adhærēt. Hic mentionem facis vnius Ecclesiæ catholice, & præpositi eius. Nos autem vnius Ec-

An Ecclesia dicta sit ante Aarōnem summum pontificem.

Pag. 2.

Turrianus soluens ē portu nauē fregit.

Limitatio Turriani.

Quid in-  
telligendū  
nomine  
Ecclesiæ  
catholicæ.

clesiæ catholicæ nomine intelligimus, inui-  
sibilem electorum Ecclesiam, cuius caput  
est Christus, & freti sumus certissimis Scri-  
pturę testimoniis. Coloss. 1. Ephes. 4. & 5. & c.  
Et si quidem propriè loqui volumus, tunc  
demum absoluta & perfectæ erit Ecclesia  
catholica, cum Christus veniet viuos & mor-  
tuos iudicaturus. Tu verò contra Scriptu-  
ram intelligis vnum aliquod corpus visibile,

An Eccles.  
Cathol. sit  
visibilis.  
Pag. 49.

ex omnibus Ecclesiis visibilibus cõpositum,  
cuius caput sit Petrus in successore suo, id  
est, Pontifice Romano. Atque ita, Turriane,  
non iam nobiscum, sed cum ipsa rerum na-  
tura disputas. Nam omnium particularium  
& visibilium Ecclesiarum, visibilem congrega-  
tionem esse vnquam, vel fuisse, vel in hac  
vita esse posse, ne fando quidem auditum est.  
Definis Ecclesiã fidelium cõgregationẽ: itaq;  
si istas tuę definitioni, nõ poterit esse Ecclesia  
visibilis, quin cõgregatio quoq; sit visibilis:  
nec Ecclesia catholica visibilis Ecclesia, quin  
eius congregatio sit etiam visibilis. Dices om-  
nes particulares Ecclesias esse visibiles, at-  
que inde sequi visibilẽ quoq; esse illam, vnã  
Ecclesiam Catholicam, quæ ex omnibus cõ-  
flatur. Ego verò libenter hoc à te perconta-  
ri velim, egregie disputator, ex qua tandem  
vel Philosophiæ vel Dialectices penu deprõ-  
pseris, τὰ κατ' ἑλκς aliis quam mentis oculis  
videri posse? licet enim particulares omnes  
Ecclesiæ sint visibiles, quoties tamen à nobis  
reducuntur ad vnã Ecclesiã, propter eandem  
fidẽ eadẽ Sacramenta, & cætera eiusmodi:  
illud

illud καὶ ὅλα non iam oculis, sed sola mentis cogitatione percipitur. Atq; vt id magis intelligas, cecidit, Cur omnes Ecclesias vnā esse dicis? nōne quia omnes, siquidē sunt veræ Ecclesiæ, eiusdem fidei atque Religionis arctissimo vinculo continentur? Ergo omnium Ecclesiarum vnitas non magis videri potest, quā fides atque religio. Et realis totius Ecclesiæ catholicæ congregatio visibilis, in nouissimum diem differenda est. Itaque cū Ecclesiæ omnes dicuntur vna Ecclesia, nō id fit quod vnus quidam cœtus rei ipsa ex ipsis omnibus Ecclesiis componatur (quod ne Turrianus quidem vnquam vidit, nisi per somnium) sed vna dicitur, propter vnitatem doctrinæ & religionis. Quò fit, vt dum concludit Catholicam Ecclesiam esse visibilem, quia omnes Ecclesiæ sunt vna eademque Ecclesia, fallat τὸ μὴ ἀστειον, αἰς ἀστειον. Quò magis miror sophistam omnia prope modum suæ causæ præsidia, in hoc vno sophismate, tanquam in arce, nuditissima collocasse: nempe, cū Ecclesia catholica sit visibilis, eam necessariò caput visibile habere, vt caput suo corpori respōdeat. Hoc autem arripit tanquam clauam Herculeam ad debellanda Ecclesiarum Protestantium & Confessionistarum (sic enim loquitur) monstra πολυκέρατα. hinc istæ verborū ampullæ, Protestantium Doctores omnes fuisse à Turriano fractos, reuictos, & ad ἀφανίαν compulsos. Bona verba Turriane, ac vide ne in te quadret quod ait Dauid de eo qui efflat in suos

Elenchus  
Turr.

Pag. 54.

Pag. 301.

Epist. nuncup. &  
pag. 279

aduersarios, tanquam eos solo flatu prostraturus. Atenim vt videas nondum nos ad ἀφανίαν redactos esse, ita hoc tuum argumentum in tuum caput retorquemus: si Pontifex Romanus cum sit visibilis, non potest esse caput inuisibilis Ecclesie, vt caput corpori respódeat: Ecclesia autem Catholica est inuisibilis, quia Catholica, (vt antè demonstratū est.) Sequitur Pótificem Romanum non posse esse caput Ecclesie Catholicæ.

Cóclusio. Ex his igitur omnibus efficitur, definitionem Ecclesie à Turriano propositam, esse (vt Philosophorum verbis vtar) φανόμενον μὲν, ἔξω ἢ μὴ, id est planè ὁρατόν. Quare substituamus verā Ecclesie visibilis definitionem, & eam conficiamus, non ex sola instrumentali causa (quod fecit Turrianus, dum totus hæsit in Ministris Ecclesiam congregātibus) sed proferamus ea quæ sunt οὐσίωδῃ Ecclesie, nempe doctrinam & Sacramenta, quæ vt anima corpori, ita Ecclesie vitam infundūt, & eam conseruant: vt ita τὸ τί λέγεται Ecclesie verè exprimat. Ecclesia Christi visibilis est cœtus hominū Euangelium Christi profitentium, in quo per Ministros ad hoc vocatos, Euangelij doctrina purè traditur, & Sacramenta ex Dei verbo administrantur. Hæc definitio simplex est & apertè nititur verbo Dei, quemadmodum ex serie totius disputationis manifestum erit.

Ἀντιφάσις. Iam opponamus falsæ Turriani cóclusioni verā & ἀποδείκνυται cōclusionem. Cum in Ecclesia nostra ex verbo Dei reformata & Euan-

Euangelij doctrina purè tradatur, & Sacramenta per Ministros ad id vocatos syncerè administrantur: sequitur ex superiori definitione, nostram Ecclesiam esse Christi Ecclesiam: & ex ratione consequentis, Pastores nostros esse veros ac legitimos Ecclesiæ Ministros.

---

LOCVS II. MATTHÆI 16.

Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c.

*Sophisma Turriani.*

Super Petrum sic à petra translate dictum, pag. 12. & 13. & 4. &c. propter firmitatem fidei eius, & propter auctoritatem firmadi in ipsa illa fide fratres. Luc. 22. Christus promittit se Ecclesiam suam perpetuò ædificaturum: nam is est sensus verbi, ædificabo, futuri temporis. secundum idioma Scripturæ sanctæ, itaque singulæ Ecclesiæ, inquam partes, debent adherere vniuersæ Ecclesiæ, ac proinde eū habere Pontificem, qui est Ecclesiæ vniuersæ Pontifex, is autem est Romanus Pontifex Petri successor.

*Solutio superioris Sophismatis.*

Matthæi locum in alienum sensum detorquet Turrianus. Nam Ecclesia ædificata est super eam petram quam Simon Petrus Prius membrum huius disputationis de

primatu  
Romani  
pontificis.  
V. a expo-  
silio loci.

Confirma-  
tio expo-  
sitionis.

Ratio 1. ex  
circūstan-  
tia loci.

Ratio 2.  
ex alijs lo-  
cis Scriptu-  
ræ.

Ratio 3. ex  
analogia fi-  
dei.

Ratio 4. ex  
analogia  
fidei.

confessus est, id est super filium Dei viuentis, non autem super ipsum Petrum, vt ex sequētibz rationibus patebit. Prima ratio: quia Matthæus interpres locupletissimus sententiæ Christi, non sine ratione Petram à Petro distinxit, nomine & persona mutatis: non enim dixit super te Petrum, sed super hanc Petram, ἐπὶ τῆς πέτρας, quod ad precedentē confessionem necessariò referendum est, nisi planè ipsa verba, & ipsam orationis structurā euertere volumus: quod Turrianus videtur nolle facere, qui tam accuratè verbum futuri temporis, ædificabo, expendit. Secunda ratio, quia expressus est locus apud Paulum, quò & nostra confirmatur, & Turriani refellitur interpretatio 1. Cor. 3. fundamentum, inquit, aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Iesus Christus, Hæc Paulus. Iste verò magnus disputator, & qui in Lipsicas disputationes contra ius fasque virgam Censoriam arripuit, videtur non satis animaduertisse vim propositionis vniuersaliter negantis. Quare vt ipsi potius Censoria notatio inuratur, ita dicamus: Turrianus de aliquo affirmat, quod de omnibus negat Paulus: ergo Turrianus Paulo contradicit. At Paulus afflâte Spiritu Christi loquutus est. Turrianus igitur loquitur afflâte spiritu Antichristi. Tertia ratio, quia hæc propositio, Ecclesiam ædificatam esse super Petrum non est ἀνάλογος fidei. Non enim potest Ecclesia ædificari nisi per fidē, quam vel in Petrum, vel in vllā creaturam recumbere

bere, sine blasphemia dici non potest. Iam Arg. Turri-  
refellitur.  
 expendamus rationem a Turriano propo-  
 sitam. Nomen Petri inquit, fuit inditum Pe-  
 tro propter fidei eius firmitatem, pro qua  
 Dominus rogauit ne deficeret. cap. 22. apud  
 Lucam. Verum si tempora distingueret, non  
 sic argumentaretur. Christus enim precatus  
 est pro fide Petri, sub ipsum mortis tempus,  
 & longè post hanc nominis impositionem, de  
 qua disputamus: at causa suo effectu poste-  
 rior esse nõ potest: dixit autem Christus, Tu  
 es Petrus, non, tu eris Petrus: quò sit vt præ-  
 sens causa quærenda sit, non longè post futu-  
 ra, nimirum ipsa fidei cõfessio, quam Petrus  
 ediderat collegarum omnium nomine, quæ  
 est firmissimum illud fundamentum Eccle-  
 siæ, quod conuelli nunquam potest. Atque vt  
 videat Turrianus quàm parum nos hæc ra-  
 tio moueat, ex illa precatione Christi dici-  
 mus argui, fidẽ Petri fuisse infirmam, quam  
 cum Christus propemodum corruituram  
 videret, pro ea rogauit, ne deficeret: at si fuis-  
 set instar Petræ solidissimæ (quemadmodum  
 Turrianus existimat in sua etymologia) cer-  
 tẽ non erat timẽdum ne deficeret. Quamob-  
 rem eam precationẽ Christi pro Petro quæ  
 extat apud Lucam, Turrianus nõ in suæ, sed  
 in nostræ sententiæ subsidium vocauit. Huc  
 accedit quòd Petrus vocatus est Satanas ab  
 ipso Christo, paulò post hunc sermonem ha-  
 bitum de ædificanda Ecclesia super petram:  
 ex quo sequitur Petrum non fuisse illam pe-  
 tram, quia oportet eam esse firmissimã, in-

De preca-  
 tione Chri-  
 sti pro Pe-  
 tro. Luc. 22.



concussam & immutabilem: qua ratione nomine Petræ à Christo usurpatum est. Caterum si Petrus est fundamentum Ecclesie propter firmitatem suam fidei, ergo ratione causæ propter quam, ipsa firmitas fidei Petri, erit potius Ecclesie fundamentum. At hoc falsum est, quia fidelis quisque ex sua fide, non ex aliena viuit. Habacuc 2. neque Christiani ideo credunt, quia Petrus constantiter credidit: sed quia Spiritus Dei in illis operatur vt credant, veraque fide amplectantur Christum Filium Dei viuentis: atque ita super petram ædificentur. Sed cur nõ potius istum disputatorem refellimus ab ipsa recte disputandi scientia? Nam Dei constantiam & firmitatem quæcunque tandem in Petro fuerit, dicemus qualitatem in Petro fuisse. Quisquis ergo dixerit fideles super fidem Petri, id est, substantiam super *ἀκίνητα* & accidens fundari, ille certè frequentissimo philosophorum theatro explodetur. Addit aliam rationem Turrianus, nempe Petrum dictum fuisse petram propter authoritatem firmandi fratres in fide, ex eo quod scribitur eodẽ cap. 22. apud Lucam: Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Non enim quarendum est *ἐτυμον* nominis Petri extra circumstantiam huius loci Matthæi, de quo disputamus: atque vt iam monuimus, ipsa temporum ratio prorsus obstat, ne locus Lucæ cum hoc Matthæi loco iungatur. Postremò nolo pluribus ostendere quam ineptum fuerit dicere Petrum ea ratione dictum fuisse petram, quia debuit fratres

Elench.  
Turriani.

De his verbis: confirma fratres tuos. Luc. 22.



nisterium quàm Apostolatam Scriptura cõ-  
 memorat. Atque vt de Apostolorum mini-  
 sterio agamus, si verum est quod ait Grati-  
 anus in suis Decretis (aliquando enim verum  
 dicit) ex ipsa Scriptura sensum veritatis esse  
 capiendum, Can. Relatũ, Distin. 37. audia-  
 mus igitur Paulum ita de hac ipsa re, id est,  
 de ædificatione Ecclesiæ, & de ministetio A-  
 postolico differentem, Ephes. 2. Superstructi,  
 inquit, super fundamentum Apostolorum &  
 Prophetarum, cuius imus angularis lapis est  
 ipse Iesus Christus. Hic dubium nõ est, quin  
 nomine fundamenti doctrinã Apostolorum  
 & Prophetarum intelligat, nisi quis planè  
 velit Pauli contextum peruertere. Atqui di-  
 xit Apostolos, numero multitudinis, nõ au-  
 tem aliquem inter Apostolos eximium, qui  
 ceteris in hoc fudamẽto preponatur: deinde  
 illis omnibus Christum substrauit tanquam  
 angularem lapidem, quo vno doctrina Pro-  
 phetica & Apostolica nititur. Quis ergo nõ  
 miretur Turrianum in Ecclesiæ ædificatione  
 consideranda, fuisse ipso Paulo perspicacio-  
 rem? ecquos enim oculos habuit Paulus (si-  
 quidem vera est Turriani sententia) qui Pe-  
 trum super quem ædificata est Ecclesia non  
 perspexerit? tantum lapidem atque inter re-  
 liquos adeo prominẽtem non animaduerte-  
 rit? denique Ecclesiæ Catholicæ fundamen-  
 tum, quod Turrianus toties inculcat esse vi-  
 sibile, non viderit? imò ne Petrum quidem  
 nominauerit? veruntamen mihi per te lice-  
 bit, disputator acutissime, Paulum qui per  
 Spiritum

Spiritum Dei professus est se peritum esse architectum, tibi tuisque Iesuitis atque ad eum omnibus pontificijs, vanique eorum disputationibus anteferre. Is enim Ecclesiam sanctissima doctrina ædificauit: vos autem humanis commētis Ecclesiam, quoad eius fieri potuit, quasi adhibita machina labefactatis. Proferamus etiā quod ait Iohannes Apoc. 21. vbi ædificatam Ecclesiam describēs proposita vrbis similitudine: murus, inquit, vrbis habebat fundamenta duodecim, in quibus erant duodecim nomina Apostolorum Agni. Hic etiam nihil *κατ' ἐξουσίαν* de Petro dictum est, sed omnes Apostoli æquo iure cēsentur. Quid verò dices Paulo cum sanctè gloriatur, se nihilo inferiorem fuisse summis Apostolis, ac ne Petro quidem? Quid, quòd testatur se plerisque in locis ita prædicasse Euangelium, vt super alienum fundamentum non edificaretur. De fundamentò ministeriali (quemadmodum dicere soletis) Apostolum loqui manifestum est. Qui sit ergo vt obliuiscatur se super Petri ministeriale fundamentum ædificasse? Rursus idem ait Corinthios esse Dei ædificationem (atque ita exponit quod ait Christus se Ecclesiam ædificaturum) & nihilominus affirmat se fundamentum illius Ecclesiæ iecisse. Ex quibus omnibus efficitur, Petrū non posse dici fundamentum ministeriale Ecclesiæ vniuersæ. Sed cur diutius de hac re disputo? expendatur ipsum ministerij vocabulum, & facillè patebit τὸ Ἰωδὰς Turriana: propositionis.

2. Cor. 11.

Gal. 2.

Rom. 15.

1. Cor. 3.

Nec enim natura patitur, vt idem fit minister ædificationis & fundamentum, ne opus cum opifice confundatur. At Petrus fuit vnus ex architectis Ecclesiæ Catholicæ, non potest igitur esse ipsius fundamētum, ea ratione qua fuit architectus, id est, minister: vnde consecrarium est, ipsum nō posse dici ministeriale fundamentum Ecclesiæ vniuersæ: quia fundamētum & fundator, opus & artifex, non possunt de vno eodémque dici. Nisi fortè isti transsubstantiatores, noua quadã & inaudita μεταμορφώσεις, architectū domus, in ipsius ædificij fundamentum conuertant. Quamobrem ipsa Christi verba diligentius erant consideranda Turriano: non enim dixit, per Petrum ædificabo, sed, super hanc Petram ædificabo, inquit, Ecclesiam meam: vt ita formissimum Ecclesiæ fundamētum, id est, veram fidem & doctrinæ puritatem apertè denotaret. Itaque cū Ioannes in Apocalypsi dixit, nomina duodecim Apostolorum inscripta fuisse duodecim Ecclesiæ fundamentis, nomine fundamēti intellexit doctrinam à duodecim Apostolis annuntiatam.

Discutitur  
verbum æ-  
dificabo.

Sed iam porrò audiamus quàm feliciter in hoc Matthæi loco Turrianus versetur, ædificabo, inquit, id est, perpetuò ædificabo, secundum idioma Scripturæ. Primum hoc erat apertius declarandum, nec enim perpetuò ædificanda est Ecclesia, cuius absolutissimum fastigium aliquādo expectamus. Sed si hoc refert ad Ecclesiam peregrinantem in terris

terris (vti necesse est) sequetur profectò, Ecclesiam non ædificari super Petrum, rãquam ministeriale fundamentum: quia cum Petrus nõ potuerit esse p̄perpetuò in terris, eius quoque ministerium non potuit esse perpetuum. At Christus dixit, ædificabo, id est, exponente Turriano, semper ædificabo Ecclesiam super hãc Petram: quò fit vt hãc petra, Petrus esse non possit. Respondit, Petrum non per se quidem esse perpetuò in terris, sed in successore suo, videlicet Romano Pontifice. Atenim, Turriane, hoc non est argumentari ex hoc Matthæi loco, vbi de successore Petri ne verbum quidem. Sic enim Christus Petrum non inatim compellans: Ego tibi dico, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Tu verò, quasi debitum exigas, soles identidem flagitare, vt locum aliquem Scripturæ proferamus, quò nostrarum Ecclesiarum successio confirmetur: nõsque, vt ais, iure manu cõfertos vocas (hanc enim veterem litigatorum formulã, tu disputator *επιστολὴς* vsurpasti) ego vicissim postulo, vt locum aliquem proferas de ista Petri successione, quam tui Pontifices sibi vendicant. Cùm enim gerant pro hærede (si titulum spectes) cedò tabulas quo, quidem postulato nullo aliud æquius esse possit. Ecquid enim potius in vniuersa fidei doctrina planis, expressis & dilucidis verbis explicandum fuit quàm hoc dogma de Petri successore, cui si Põtificijs credas, necessariò adhærere debeat

Turrianus loquens de petri successore, vagatur extra locum Matthæi.

particulares omnes Ecclesiæ, alioquin Ecclesiæ nomine indignæ? Hic verò vide quàm sis iniquus rerum æstimator. Hæc enim verba quæ sequuntur apud Matthæum, Tibi dabo claves regni cælorum, &c. quia non ad Petrum restringimus, sed affirmamus hoc ipsi fuisse cum cæteris Apostolis commune, soletis exclamare, summam fieri Petro iniuriam, dum quod vni Petro dictum est, ad alios quoque Apostolos extenditur: ac tum vrgetis hæc verba, Tibi dico, item, Tu es Petrus, item, Super hanc Petram, vt nos ad vnum Petrum restringatis: at interim non veremini hæc ipsa verba ad omnes Romanos Episcopos extendere. Obsecro, num Fabianum, Corneliū, & veteres illos Romanos Episcopos (pudet enim huius seculi non iam Episcopos, sed Pontifices recensere) cum Iohanne, Matthæo, Iacobo, & reliquis Apostolis, non tantum comparare, sed etiam longè anteferre? Cuius enim pudoris est, id negare Apostolis, sique præsentibus, quod Episcopis longè post futuris tribuere non dubitas? Cæterum ipsa te rei veritas coget, vt Apostolis omnibus claves regni cælorum datas esse fatearis, atque ita locum hunc Matthæi, nō minus ad reliquos Apostolos, quàm ad Petrum pertinere. Vt enim omittam omnes Apostolos à Christo interrogatos, ore vnius Petri respondisse (quod veteres agnouerunt) neque proferam ea quæ sequuntur apud Matthæum, quando Christus interdixit Discipulis, vt nemini dicerent ipsum esse Iesum

Non solum  
Petro claves regni  
cælorum  
datæ sunt.

Iesum Christum: hoc tamen satis superque esse debet, quod in Christi verbis nihil sit quo ceteri Apostoli excludantur. Imò potius quod Petro dictum fuerat numero singulari, Quicquid ligaueris in terra, &c. id postea repetitur numero multitudinis cap. 18. Quaecunque, inquit, ligaueritis in terra, erunt ligata in caelo. Deinde (quod rectè Lutherus obseruauit) Christus tibi dabo dixit per futurum tempus. videamus igitur quando dederit, nempe Ioh. 20. Sicut misit me pater, inquit, ita & ego mitto vos: accipite Spiritum Sanctum: si quorum remiseritis peccata remittuntur eis: quibus verbis exponitur figurata locutio ligandi & soluendi. Ecce igitur vbi dantur clauis caelorum non vni Petro, sed omnibus Apostolis simul. Ex quo etiam factum est, vt Petrus non aliis Apostolis imperarit, sed aequè cum aliis Ecclesiam administrarit, vt constat ex Actis Apostolicis. Ita, Turriane, hoc vno ariete corrui illa tua turris Babylonica, quae summam rerum diuinarum & humanarum perturbationem inuexit. Quod vt sentias, ita paucis comprehendo: Apud Matthæum Christus ait: Tibi dabo, non autè Tibi do: at apud Iohannem Christus omnes simul Apostolos cõpellat, omnibus afflat Spiritum sanctum, & omnibus simul Apostolis dat potestatem soluendi & ligandi, id est, remittendi, aut retinendi peccata: nihilque hic Petro nominatim, sed vna omnibus & aequa potestas tribuitur. Quam obrem Turriane, tuo more peccas

Petrus æ-  
què cum a-  
liis Eccle-  
siam admi-  
nistravit.

2.

Elench.  
Turria



πῶς μὲν cum hoc connexum proponis : Chri-  
 stus dixit Petro, Dabo tibi claves regni cœ-  
 lorum. Ergo soli Petro dedit. Nam profero  
 ἐν τῷ αὐτῷ ex apertissimo Iohannis loco. Atque  
 ut ad fundamentum ministeriale redeamus,  
 cum in hoc loco Iohannis, Christus non v-  
 num Petrum, sed alios etiam Apostolos mi-  
 nisterio Apostolico plenè consecravit, om-  
 nēsque fuerint Spiritu sancto afflati, atque  
 eodem modo & ritu, iisdem denique verbis  
 sanctissimo illi ministerio consecrati, effici-  
 tur, nihil esse causæ quamobrem Petrum po-  
 tius quàm alios Apostolos dicamus fuisse  
 ministeriale totius Ecclesiæ fundamentum.  
 Quoniam autem, ut veritas est simplex &  
 perpetuò sibi constans, ita mendacia sese  
 mutuò collidunt : videamus aliam quoque  
 repugnantiam Turmanicæ disputationis.  
 Quid enim si rogem de quānā Ecclesia Chri-  
 stus loquatur? nempe respondebit de ea quā  
 portæ inferorum non superabunt, quemad-  
 modum hic affirmat Christus. At verò non  
 posse superari ab inferorum portis est ele-  
 ctorum proprium ( Ecclesias enim visibiles  
 posse deficere tristissimis exemplis nimis est  
 manifestum.) Tu verò, Turriane, fateris e-  
 lectos nobis esse invisibiles, & electorū Ec-  
 clesiam esse invisibilem. Rursus centies af-  
 firmas Petrum & eius successorem esse & ca-  
 put & fundamentum visibile Ecclesiæ visibi-  
 lis. Quare ex tuis præmissis colligo nec Pe-  
 trum, nec eius successorem, quicumque tan-  
 dem sit, vel esse, vel fuisse, vel esse posse fun-  
 damentum

Turrian.  
 refutatur  
 ex ipso cō-  
 textu.

pag. 179.

X

damentum eius Ecclesiæ de qua Christus apud Mathæum locutus est. Cæterùm ad tædium vsque Bonifacium inculcas Germaniæ (vt loqueris) apostolum eò, quòd Germanicas Ecclesias super fundamentum Petri ædificauerit, easque Romanis Pótificibus addixerit : nunc autem Protestátium Ecclesias fidenter & temerè pronútiás nullas esse, postquam à Pontifice Rom. descuerút. Si ita est, consequitur, Christum non fuisse locutum de Ecclesia super Rom. Pontificem ædificanda, cum loquatur de Ecclesia quæ nunquam possit à suo fundamento diuelli.

pa. 131. &amp;c.

Dum Turrianus insectatur Protestantium Ecclesias, suum Pontificem, nihil tale cogitans, vulnerat.

Ex iis quæ antè disputata sunt, efficitur Petri ministerium idem plene fuisse cù aliorum Apostolorum ministerio, & falsissimè esse quod Turrianus post alios Rom. Pontificis *Utriusque* proposuit de Catholica Ecclesia super vnum Petrum & eius successorem ædificanda. Nunc ipsum etiam successoris vocabulum discutiendum est.

Conclusio de fundamento ministeriali.

Primum igitur hoc in questione voco, potuerintne Apostoli in munere Apostolatus habere successores. Potuisse affirmat Turrianus (quidni autè, cum hac vna basi Rom. sedes vel potius regnum Pontificiũ fulciatur?) remque ita nobis explicat, vt Petro quidem Romanus Pontifex, cæteris autem Apostolis Episcopi, septuaginta verò discipulis, Presbyteri successerint. Hic tibi parco, Turriane, nec dum te meo iure cogo, vt ex hisce tuis verbis concludas, non modò te tuosque gregales Iesuitas nudius tertius e-

Successoris vocabulũ discutitur. An Apostoli habuerint successores.

pag. 153.

Iesuitas  
nouos se-  
ctarios, &  
nudius ter-  
tius exor-  
tos nō de-  
cet de suc-  
cessione  
disputare.

Elench.  
Turriani.

In Aposto-  
latus mu-  
nere suc-  
cessum nō  
fuit Apo-  
stolis.

xortos, sed alios etiam monachos longè vo-  
bis natu maiores, omni carèrè successione,  
cùm neminem vestrū reperiam in hoc ipso  
Catalogo successioneis, quem ipse recensui-  
sti: nondum, inquam, te verbis quibus di-  
gnus es refuto, què nulla successione fretū,  
non tamen puduit Pastorum nostrorum suc-  
cessionem exagitare, qua de re fortassis a-  
liās. Nunc redeo ad id quod affirmas de A-  
postolorum successoribus, vbi te peccātem  
deprehendo *κατὰ τὸ ἀπολῶς, τὸ κατὰ τι λεγόμε-  
νον*. Nam ordinarij Ecclesiæ Pastores, qui  
purè docent Euangelium, & fideles ipsi qui  
doctrinam Apostolicam retinent, dici qui-  
dem possunt Apostolorum successores: sed  
*κατὰ τι*: nos autem de Apostolatus natura  
disputamus, quem alio loco habēdum esse,  
quàm ordinarium Ecclesiæ ministerium, do-  
cet Paulus ad Ephes. 4. & 1. Cor. 12. Itaque i-  
psis Apostolis in Apostolatus munere suc-  
cessum non fuisse ita colligamus. Constat  
ex Scriptura duobus potissimum in Apostola-  
tu spectanda esse: vnum, Apostolos non vlli  
genti, vrbi, prouincia, vel regno fuisse alli-  
gatos, nec eorum munus aliis quàm vniuersi  
terrarum orbis finibus circumscriptum: sic  
Matth. 28. Profecti, docete omnes gentes, &c.  
Alterum, Apostolos non ordinario modo,  
neque per hominum ministerium; sed *ἀμέ-  
σως* ab ipso Domino electos fuisse. Galat. 1.  
Non ab hominibus, inquit, neque per ho-  
minem, &c. Si in his duobus non fuit succes-  
sum Apostolis, dico nullos esse Apostolorum  
succes-

successores in Apostolatus ministerio. Atque  
 ut de priori agamus : Apostoli quorum fuit  
 omnes gentes docere, ordinarios Ecclesie  
 Ministros, id est, Episcopos vel Presbyte-  
 ros constituerunt, & constituendos curá-  
 runt, idque κατ' ἐκκλησίαν, inquit Lucas Act.  
 14. Et κατ' ὅλην, inquit Paulus. Tit. 1. Non i-  
 gitur ut Episcopi & Presbyteri omnes gen-  
 tes docerent, sed eum tantum gregem cui  
 præfiebantur, adeò ut Episcopatus longo  
 intervallo differat ab Apostolatu. Quam-  
 obrem cum hodie nulli sint ad quos spectet  
 hoc mandatum: Profecti, docete omnes gen-  
 tes: sequitur Apostolatus ministerium non  
 fuisse ad nos usque successione propagatum.  
 Atenim Turrianus profert Rom. Pontificem,  
 qui Petro, & Episcopos, qui ceteris Aposto-  
 lis successerint. Quantum ad Episcopos at-  
 tinet, confecimus ex verbo Dei eorum unum-  
 quemque esse non omnium Ecclesiarum &  
 gentium, sed certè alicuius Ecclesie Pasto-  
 re: & nemo sanè nisi planè sit ἀπόστολος, Apo-  
 stolatum cum Episcopatu cõfuderit. Roma-  
 nus autè Pontifex quo tandem iure sibi Apo-  
 stolatum vendicat? Quia, inquis, est Roma-  
 næ sedis Episcopus. At ea ratione vni tantum  
 Ecclesie præfectus est, alioqui non est Epi-  
 scopus. Hæc autem repugnant, vni tantum  
 Ecclesie, & omnibus simul Ecclesiis præfe-  
 ctum esse. Ex quibus efficitur, Romanum  
 Pontificem falso sibi Apostolatum vendica-  
 re, eò quòd sit Rom. Episcopus. Quid si di-  
 cat, quia Petri successor est? At ne Petri qui-  
 dem successorem alia ratione sibi tribuit,

An Rom. Pontif. A-  
 postolatū  
 gerat.

2.

quam propter Ecclesiam Romanam. Nulla igitur ratione Pontifex Romanus Apostolatus officium sibi arrogat. Iam de posteriori agendum est, nempe de modo electionis. Dico igitur ἀπέρας eligi & vocari à Deo ad prædicandum Euangelium, esse ἐπίσκοπος ministerio Apostolatus. Hoc enim argumento firmissimo probat Paulus se esse Apostolū. cap. 1. ad Galat. Pontifex autem ab hominibus eligitur (at quibus modis? qua via? quibus artibus?) neque quidem ad Euangelium omnibus gentibus prædicandum. Nō est igitur Apostolus, & proinde non successor Petri in Apostolatu. Sic enim Christus, profecti, docet omnes gentes. Romanus autem Pontifex, sedet in sublimi folio, nullamque docet gentem, nedum omnes. Quibus igitur rationibus nobis persuadebis, Turriane, aut vt loqui soles, conuinces, illū esse Petri successorem. Iam attende mecum quorsum euadat præclara illa tua successionis descriptio. Non ignoras, successorem, quatenus successor est, non plus habere iuris quam habuerit is in cuius locū successit. Hoc enim discere potuisti ab Iuriscōsultis, quibus citandis video te valde delectari. Atqui si tibi credimus, Rom. Pontifex Petro, & Episcopi Apostolis successerunt. Hoc si ita est, non potest igitur Rom. Pōtifex plus habere iuris in Episcopos, quam Petrus habuerit in Apostolos: nam eō te adigit ipsius connexi necessitas. Quare dicendum est ex hoc tuo argumēto, in creādis Episcopis auctoritatem

Turrianus  
refellitur  
ab ea suc-  
cessione  
quam def-  
cribit.

thoritatem Rom. Pontificis nō esse require-  
dam: Episcopos à Rom. Pontifice nō vocan-  
dos, nō instituendos, non confirmādos esse:  
quia Petrus neque vocauit, nec instituit, ne-  
que confirmauit Apostolos in munere Apo-  
stolatus.

Miror autem cur Pontificij tantopere de  
Petri successore contendāt. Quasi verò si Pe-  
tro successum fuerit, necesse sit Episcopum  
Romanum esse Petri successorē, qua in parte  
semper tua, Turriane, & cōmilitonū tuorū ar-  
gumētatio claudicauit. Et enim si titulus fa-  
cit possessorem bonæ fidei ( vt ad familiares  
tuos Iurisconsultos redeam ) exhibe igitur  
tabulas istius successione. Petrus, inquis,  
Romæ docuit. Primū postulo vt istud etiā  
probes tabulis exhibitis. Profers scripta ve-  
terū, qui Petrū Romæ docuisse, & illic mar-  
tyrio coronatum fuisse tradiderunt. Ego  
verò, Turriane, posco iuris diuini tabulas,  
quæ si te deficiunt, & ad humanas tabulas  
recurris. fatere igitur primatum Rom. esse  
humani & positiui iuris, non autem Diuini.  
Quid? rémne tanti momenti, vt sine qua  
( si Turrianum audimus ) non possit Eccle-  
sia subsistere, non confirmari, & lucere ex-  
pressis, planis, & certissimis Scripturæ te-  
stimoniis? At tantum abest vt vllus extet de  
hac re locus in Scriptura, vt ne vestigiū qui-  
dem vllum appareat imò potius multæ sint  
& grauissimæ coniecturæ in aliam partem.  
Sed, vt illud præteream, ecquod erit istud  
concludendi genus? Petrus Romæ fuit, Ro-

Etiam si Pe-  
trus haberet  
successorē,  
id ad Rom.  
Pōtificem  
nihil perti-  
neat.

An Petrus  
Romæ do-  
cuerit.

ma docuit, Romæ pro Christi nomine mor-  
 tem adiit: ergo fuit Rom. Episcopus: &  
 quotquot ab eo tempore extiterunt Romani  
 Episcopi dicendi sunt Petri successores  
 in Apostolatu, atque adeo (vt Pontificij vo-  
 lunt) in Apostolatus Primatu. Discutiamus  
 vim huius conclusionis. Si Petrus fuit Epi-  
 scopus Romanus, quatenus Apostolus, ergo  
 cæteri Apostoli fuerunt quoque Romani E-  
 piscopi: si non quatenus Apostolus, ergo  
 Pontifex non illi succedit in Apostolatu: si  
 quatenus & Apostolus fuit, & Romæ docuit,  
 atque etiam Romæ passus est. Paulus ergo  
 fuit Romanus Episcopus, & potiori iure  
 quam Petrus, quia expresso Dei mandato  
 Romæ docuit, quod de Petro non legimus,  
 ne dicam Paulum fuisse κατ' ἐξουσίαν Apo-  
 stolum gentium nominatum. Hoc verò non-  
 dum urgeo, rectène Petrus dicatur vnius vr-  
 bis Episcopus, qui ad docendas omnes gen-  
 tes missus est, tantum huius conclusionis  
 Pontificiæ vim expendo. Nec etiam obiicio  
 quod veteres dixerunt, Paulum cum Petro  
 fundasse Ecclesiam Romanam, illa inquam  
 omnia præmitto, vt dicam ex illis Ponti-  
 ficiorum præmissis sequi, Episcopum Hiero-  
 solymitanum fuisse Petri successorem:  
 quia Petrus Hierosolymæ docuit. Idem di-  
 co de Antiochia, idem de omnibus locis in  
 quibus Petrum docuisse, non humani, (quem-  
 admodum Turrianus) sed Diuinis scriptis,  
 atque documentis asseruimus: neque video  
 quamobrem eæ ciuitates, quæ sunt priores  
 tempore

Iren. lib. 3.

tempore, debeant esse iure & autoritate posteriores: atque hoc Turrianus, qui voluit videri iurisconsultus, debuit obseruare.

Quoniam autem veteres doctores citauit, tanquam suæ sententiæ suffragatores, nos vicissim aliquot etiam veteres hunc Matthæi locum exponentes, audiamus.

Expositio  
loci Mat-  
thæi ex sen-  
tentia ve-  
ter. Docto-  
rum.  
Chrysoft.

Sic igitur Chrysoftomus in Matthæum homil. 55. Super hanc petram, id est, inquit, super fidem confessionis *ὅτι τῆ πίστεως τῆς ὁμολογίας*. Idem in psal. 32. Statuit pedes nostros super petram, id est, super fidem: fides enim in Christum iure dicitur petra quæ frangi non potest. Idcirco cum Petrus eam exposuisset, & dixisset, tu es Christus filius Dei viui, ipse subiunxit, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Augustin.

Augustinus autem contra Iud. Pagan. & Arrian. Quum Dominus Christus, inquit, discipulos interrogaret, quem dicerent esse Filium hominis, responderunt: alij Eliam, alij Ieremiam, aut vnum ex Prophetis. Et ille: vt quid suspicamini montes, &c. psal. 67. hunc cognouit Petrus dicens, Tu es Christus filius Dei: agnouit montem, & ascendit in montem, testimonium dixit veritati, & dilectus est à veritate: supra petram fundatus est Petrus, vt mortem susciperet illum amando, quem ter negauerat timendo. Idem de verbo Domini sermone vigesimo primo, Petrus in Apostolorum ordine primus, in Christi amore promptissimus, sæpe



vnus respondit pro omnibus. Et Domino interrogante & dicente, Vos autem quem me esse dicitis? respondit Petrus, tu es Christus Filius Dei viui: vnus pro multis dedit responsum, vnitas in multis. Tunc Dominus ait, Et ego dico tibi: tu es Petrus, Simo quippe antea vocabatur: hoc autem nomen ei ut Petrus appellaretur à Domino impositum est, & hoc ut ea figura significaret Ecclesiam, quia enim Christus Petra, Petrus populus Christianus. Petra enim principale nomen est, ideo Petrus à Petra, non Petra à Petro, quomodo non à Christiano Christus, sed à Christo Christianus vocatur. Tu es ergo, inquit, Petrus, & super hanc Petram quam confessus es, super hanc Petram quam cognouisti, dicens: Tu es Christus Filius Dei viui, edificabo Ecclesiam meam: super me edificabo Ecclesiam meam, super me edificabo te, non me super te. Nam volentes homines edificare super homines dicebant, Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ (ipse est Petrus) & alij qui volebant edificari super Petrum, sed super Petram dicebant, Ego autem sum Christi, &c. Idem in Iohannem Tract. 124. Super hanc, inquit, Petram quam confessus es edificabo Ecclesiam meam: Petra enim erat Christus super quod fundamentum, ipse edificatus est Petrus: fundamentum quippe aliud nemo potest ponere, præter quod positum est, quod est Christus Iesus. Ecclesia ergo quæ fundatur in Christo clauis regni cælorum  
ab eo

ab eo accepit. Hæc ille. Sed videre videor Turrianum arripientem id quod Augustinus dixit Petrum fuisse Apostolorum primum: nec etiam dubitò, quin mox obiiciat, suo more, me citasse decurtatam Augustini sententiam, qui in eodem loco dicit Petrum Ecclesiæ figuram portasse, & Apostolatus principatum tenuisse. At ego contrà ex his verbis expono sententiam veterum, qui magnificè de Petro loquuti sunt. Nam quoties dicunt eum fuisse primum Apostolorum, *κορυφαῖον*, primatum & principatum habuisse, aut aliquid eiusmodi, loquuntur de primatu ordinis, non autem de primatu potestatis. Sic enim Augustinus, Petrus in Apostolorum ordine primus. Cùm autem Turrianus, & eius commilitones primatum Petri colligant ex his verbis Christi, Super hanc Petram, &c. Augustinus autem perneget illa verba ad Petrum pertinere, ac nihilominus eum vocet Apostolorum primum, necessariò ex Augustino concludendum est, primatum Petri non nisi hoc Matthæi loco, & ex consequenti, Petrum non fuisse primum, eò quòd fundamentum fuerit Ecclesiæ, sed (vt Augustini verba repetam) quòd fuerit primus ordine inter Apostolos: hæc inquam, fuit veterum sententia, qui de primatu, vel principatu Petri loquuti sunt. Ad dam postremò Cyprian. libro De vnitate Ecclesiæ, vel de simp. prælat. ita loquentem: hoc erant vtique & cæteri Apostoli quod

Quomodo  
intelligen-  
dum est  
quod vete-  
res dixerūt  
de Petri  
primatu.

Cyprian.

Turrian.  
locū Cypri.  
deprauat:  
sed frustra.  
pag. 63.

fuit Petrus, pari consortio præditi, & honoris & potestatis, sed exordium ab vnitatem proficiscitur, vt vna Christi Ecclesia, & cathedra vna monstretur. Hæc ille. Turrianus autem post Iacobum Pamelium ex codice cardinalis Hosij, addit hæc verba (primatus Petro datur) ac præponit particulam &, quod tamen non fecit Pamelius: at nos alia omnia edita exemplaria quæ constanter retinent eam lectionem quam citauimus, malimus sequi, nemibi Gratianus sit proferendus, qui locum hunc Cypriani citans, eodem nobiscum modo videtur legisse, nec habet illa verba quæ Pamelius & Turrianus addiderunt, vt videre licet, Canon. loquitur 24. quæst. 1. Ac valde miror istos Pontificios saltem decretis Pontificiis non stare. Certe facile est iudicare illa verba primum in margine adscripta, in contextum deinde obrepisse in vno aut altero codice manuscripto. Sic enim ait Pamelius scriptum fuisse in codice illius Cardinalis (hic Petro primatus datur.) Quinetiam quum illa interferuntur verbis Cypriani, nemo non videt contextum non iam suo more fluere, sed interrumpi. Verumenimvero ne de variis lectionibus decertemus, mihi satis est quod ex Cypriano constet, primatum Petri, non esse primatum potestatis. Sic enim ille, Cæteri Apostoli erant, inquit, pari consortio præditi, honoris & potestatis: vnde sequitur

tur, primatum illum Petri fuisse tantum ordinis, ad unitatem Ecclesiæ demonstrandam: idque ex veterum illorum sententia. Atque ut Cyprianus ipse obstruat os Pontificis hunc Matthæi locum ad suum Pontificem restringentibus: attendantur ea quæ statim subiicit: Episcopatus inquit, vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur. Et libro 5. epist. 6. Christus, inquit, Episcopi honorem, & Ecclesiæ suæ rationem disponens dicit Petro, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Hæc Cyprianus. Quod si qui ex veteribus probatoris fidei dixerint Ecclesiam in Petro fundatam fuisse, illud intelligendum est, non de Petri persona, sed de doctrina ab ipso Petro annuntiata, quæ nobis vnum Christum proponit. Tu verò proferes etiam Rom. aliquot Episcopos, sibi in alias Ecclesias principatum arrogantes, ut Clementem, Anacletum, &c. quorum pleraque scripta etiam si tibi assentire non esse *ἰουδαιζῶντος*, nec asserrem varias sententias de huius Clementis scriptis quæ extant apud Gratianum distinct. 16. neque refutarem ipsum Clementem sua scripta inter scripturas Canonicas recensentem in canonibus Apostolorum, ad finem, tamen affirmare possem, illorum omnium testimonium in sua causa non esse admitterendum. Rectè enim Tertullianus, Nemo, inquit, sibi professor, & testis est, aduersus

Cyprianus locū Matthæi ad Petrum non restringit, sed exponit de ipso Ecclesiastico ministerio.

pag. 10. 64. 78. & passim.

Pontificij  
in hac qua  
stione sibi  
non con-  
stant.

Constat ex  
ipsis decre-  
tis Ponti-  
ficiis pri-  
matu Pon-  
tificis esse  
iuris huma-  
ni.

pag. 52.  
Quomo-  
do Tertul-  
l. voca-  
uit Rom.  
Episcopu  
summum  
Pontificem.  
Depudicit.

Marc. lib. 5. Deinde ipsa etiam vestroru scri-  
ta non satis inter se cohærent, quandoquidem  
constat ex Gregorio, Petrum non ante fuisse  
cæteris præpositum, quam post lapsum resi-  
puisset. Can. considerandum distin. 50. Atque  
ita manifestis verbis huic Matthæi loco re-  
nunciat, qui longè Petri lapsum antecessit.  
Porrò veteres de sedibus Apostolorum nu-  
mero multitudinis loquuti sunt, non autem  
de sola Petri sede, quemadmodu citat Gra-  
tianus ex Augustino. Can. palam est. distin.  
II. Præterea ipsis syndorum decretis inter-  
dictum est, ne quis princeps Sacerdotum, vel  
summus Sacerdos, vel vniuersalis, aut aliquid  
eiusmodi appelletur, sed tantum primæ se-  
dis Episcopus. Can. primæ sed. & seq. dist. 99.  
vbi nominatim vetat Can. ne ipse Ro. Pōtifez  
vniuersalis appelletur. Quinetiã Rom. Pōtifi-  
ces procurarunt vt Imperatoriis edictis, cæ-  
teris Ecclesiis præferentur, vt cōstat ex vete-  
ri historia, & ex Gratiano distin. 96. & 97.  
& c. Adeò vt iam dubitari non possit, quin  
Primatus Romanus sit humani iuris: quod  
argumentum alii fuscè & doctissimè perse-  
quuti sunt. Itaque nihil attinet plura nunc  
de hac re dicere. Sed cum Tertullianum ais,  
vocasse Romanum Episcopum summu Pon-  
tificem, & Episcopum Episcoporum, fallis  
αὐτὸς τὸ ἡμῶν τῆς λέξεως. Illud enim obiicit  
Tertullianus per ludibrium, vt ambitionem  
Episcopi Romani perstringat.

(Quod autem sextum Canonē Nicenæ sy-  
nodi

nodi eludere voluisti ex particula *ἐπειδὴ*, qua  
 dicis causam efficientem significari, id vero pag. 79.  
 minus etiam est quàm Sophisticum: licet an- De sexto  
 te te Pamelius idem tentauerit: disce verò à Can. Nicé.  
 Grāmaticis quid *ἐπειδὴ* differat à *διότι*. Cæ- Synodi  
 terùm quis non facilè perspiciat similitudi-  
 nem & exemplum, non autè causam efficien-  
 tem proponi habeat, (inquit Canon, etiam  
 ipso Pamelio citante) Episcopus Alexandri-  
 nus, Lybiæ, & Pentapolis potestatem, quo-  
 niam & Romano Episcopo hæc est consue-  
 tudo. Hic *ἐπειδὴ* non causam efficientem si-  
 gnicat, sed rationem similitudinis, nempe  
 vt simili iure vtatur Episcopus Alexandri-  
 nus, itémque Antiochus, quo Romanus vt  
 consuevit. Imò, Turriane, audi Pontificia  
 tua decreta & illis fidem abroga si velis: sic  
 enim Gratianus citat. illud statutum Nice-  
 num in Can. mos antiquus. dist. 65. Alexan-  
 drinus, inquit, Episcopus horum omnium  
 habeat potestatem, quoniam quidem & Ro-  
 mano Episcopo parilis est mos: similiter  
 etiam & apud Antiochiam, & cæteras pro-  
 uincias honor suus seruetur vnicunque Ec-  
 clesiæ. Hæc ille. Vbi dictio parilis in tantas  
 angustias redigit glossatorem, vt nomine  
 Romani, Constantinopolitanum intelligat,  
 quo nihil est futilius. Quia verò toties incul-  
 cas illud *ἐπειδὴ*, agnosce ex sequentibus lo-  
 ciseam particulam significare occasionem,  
 similitudinem, exemplum, &c. eiusmodi vt Lu-  
 cæ I. visum est Lucæ conscribere histo-  
 riam Euangelicam, quoniam multi aggressi

funt eãdem narrationem componere. Item Act. 13. Paulus conuertit se ad gentes, quoniam Iudæi reiciebant Euangelium. Item 1. Cor. 15. quoniam per hominem mors, per hominem quoque resurrectio mortuorum, & similia pleraque in quibus vsurpatur dictio *ἐκείνου*. At tu, egregie causarum scrutator, non animaduertis quàm ineptè causam efficientem in hoc canone scruteris. Quænam enim vnquam efficiens causa effectum tam alienum genuerit? Ita potius concludendum fuit ex tua sententia: quandoquidem Episcopus Romanus habebat principatum in omnes Ecclesias, Alexandrinum & Antiochenum Episcopum ipsi quoque subiiciendum esse, quum tamen ille canon Nicenus, tres illos Episcopos suis finibus distinctos esse iubeat: quòd fit vt mentionem faciat priuilegiorum seruandorum Ecclesiis in aliis prouinciis, tantùm abest vt dicat omnes Ecclesias esse vni Episcopo Romano addicendas. Quænetiam cum ait, hanc esse Episcopo Romano consuetudinem, satis indicat eum etiam primatum quem tum in sua prouincia Rom. Episcopus habebat, nisi sola consuetudine (quam dictionem ridiculè exponis potestatem spiritualem) & propterea esse humani iuris: nam si verbo Dei fundatus esset, certè id non erat prætermittendum, præsertim in decisione Synodali. Atque ne erres, vetus illud Synodi decretum ad solam *ἑκείνου* spectabat: nec enim pij illi patres tyrannidem in Ecclesiam inuehere,

here, sed tantum schismaticis obuiam ire  
vouerunt.

Frustra etiam conaris declinare vetus A-  
fricana Synodi decretum, ne qui illic Ec-  
clesiastico iudicio damnati essent, mare tra-  
iicerent: & vt duos parietes eadem fidelia  
dealbares, tam hoc quam Carthaginense de-  
cretum ad solas appellationes restrinxisti,  
idque inodò necesse non fit eas ad Pontifi-  
cem Romanum deferri. Qua limitatione ve-  
tus illud statutum eludis. Profers autem ex  
Aurelio Iurisconsulto, olim non licuisse à  
præfectis Prætorio prouocare ad Impera-  
torem, cuius tamen summæ potestati nihil  
derogabatur. Verum, vt ostendam quam pa-  
rum hoc exemplum ad rem faciat, te ex Au-  
relia tuo refello, qui testatur id quidem li-  
cuisse, sed postea ( vt eius verbis vtar ) pu-  
blicè sententia principali lecta, appellandi  
facultatem fuisse interdictam. Atqui Tur-  
riane, hac in causa contrarium prorsus eue-  
nit: nam quum initio locum non haberent  
eiusmodi appellationes, postea sententia  
Pontificali promulgata sancitum est, vt ex  
omnibus Ecclesiis ad Ecclesiam Romanam  
appellaretur. Sic enim Gelasius Papa, citan-  
te Gratiano. can. cuncta 9. questione tertia.  
Sacrosancta, inquit, Romana Ecclesia, fas  
de omnibus habet iudicandi, neque cui-  
quam de eius licet iudicare iudicio, si-  
quidem ad illam de qualibet mundi par-  
te, appellandum est: ab illa autem nemo  
est appellare permissus. Hæc bonus ille

pag. 80.  
De decre-  
to Synodi  
Africana.  
pag. 94.  
pag. 82.  
pag. 95.

De iure ap-  
pellationis



seruus seruorum Dei. Vnde efficitur Pontifices non modò non sententia publicè promulgata, facultatem ad se promouendi interdixisse, verum etiam eò semper quantum in ipsis fuit, omnia reuocasse, attraxisse, rapuisse, adeò vt suo throno non solùm præfectos prætorio (quorum meminit Turrianus) sed, quod longè est indignius, ipsos etiam summos imperatores subiecerint. Nò igitur interdicta fuit prouocatio ad Ecclesiam Romanam ab ipsa Rom. Ecclesia, aut ab eius Episcopo ita iubente, sed à plurimis Episcopis Africanis ita statuentibus, & id quidem inuito Episcopo Romano. Atque in primis notanda est ratio qua vetus illud decretum nitebatur, ita loquente Cypriano lib. 1. ep. 3. Singulis, inquit, Pastoribus portio gregis est adscripta, quam regat vnusquisque & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus. Itaq; oportet eos quibus præsumus, non circumcussare, nec Episcoporum concordiam cohærentem sua subdola & fallaci temeritate collidere, &c.

Cur veteres multum tribuerint Ecclesie Romanæ, idè hodie non facturi.

P/g. 88.  
De trāslatione cathedræ Antiochenæ.

Atque vt vno verbo transigam: si veteres multum tribuerunt Ecclesie Romanæ, non tantum propter Imperij sedem illic constitutam, sed etiam propter spirituales dotes, quibus tum excellebat, affirmo illa omnia ad vos nihil hodie pertinere. Nihil melius soluis quod obiicitur de Petri cathedra ex vrbe Antiochia Romam translata: atque hic est nodus, Turriane, què hæcenus tui Pontificij soluere nequiverunt: nec tu, quamquam

quam tuo iudicio acutissimus disputator, aliud profers, quàm veterē illam crambem toties & ad nauseam vsque repetitā de Marcello Episcopo Romano (quicūque tandem is fuerit) qui scripsit ad Antiochenses, cathedram Petri, volente Deo, Antiochia Romam translata fuisse. Nos verò Rom. istum Episcopum, & in sua causa, & citra verbum Dei loquentem, & ius alienum, parte non audita, & absque præcedente iudicio, authoritate propria, sibi tribuentem, audire non debemus: imò commentum illud vel de collocata, vel de translata Petri cathedra, aperte repugnat ministerio Apostolico, cuius hoc proprium est, vt antè dixi, non huic vel illi ciuitati alligari, sed diffundi per vniuersum terrarum orbem: ita præcipiente Domino, Profecti, docete omnes gētes: quibus verbis Christus ipse Petri, ad eoque omnium Apostolorum cathedram, non Antiochiæ, neque Romæ, sed in omnium gētium oculis, atque auribus collocavit. Hanc nec Antiocheni sibi vendicare, neque Romani ad se rapere vnquam iure potuerunt. Quamobrem Romanæ sedis Primatum, ipsorum Rom. Pontificum testimonio probare velle, nugari potius est, quàm verè disputare. Atque vt id verbo affirmatur, ita etiam verbo negandū est. Sunt enim eiusmodi commenta sola negatione jugulanda. Sed tamen ex his vestris nugis, Turriane, ego aliquid serium colligo: cum ius Diuinum sit immutabile, vestrarum autem sedium ordo sit mutabilis, cum

Ipse varius  
sedium or-  
do apud  
Pontifices  
eorum sen-  
tētiā re-  
fellit.

46  
iuris Diuini non esse. Nam prima sedes fuit  
primùm Antiochiæ, deinde Romæ, vt vos  
quidem contenditis, secunda vero sedes ali-  
quando Alexandria, deinde postea Cōstan-  
tinopoli collocata: atq; idem dici potest de

Can. Sacro  
sancta Dist.  
22.

quibusdam aliis, vt patet ex can. renouantes.  
distin. 22. Datur, inquit, intelligi quòd Ale-  
xandrina Ecclesia de secunda facta sit tertia,  
& Anthiochena de tertia sit quarta, nisi for-  
tè quis duas contendat esse secundas: hæc il-  
le. Egregiam profecto decisionem, & dignam  
quæ in Pontificia decreta referretur! At enim  
quid misera illa Antiochena commisit, qua-  
re ex primo loco deturbata nunc in tertium,  
nunc in quartum tam indignè rejecta fuerit?  
Quis non videt varios illòs vestrarū sedium  
grádus, non aliis quàm ambitionis humanæ  
colūnis fuisse suffultos? Restat igitur vt Ro-  
manus principatus non sit Diuini iuris, sed  
positiui, aut nullius, potius, cùm in tanta in-  
iuria nullum ius, vel quæri debeat, vel pos-  
sit vnquam inueniri. Sit iam igitur huius lo-  
ci finis, & concludamus hæc verba Chri-  
sti fuisse perperam detorta ad Primatum  
Romanum confirmandum. Tu es Petrus,  
& super hanc petram edificabo Ecclesiam  
meam.

Conclusio.

Summa  
Solutionis  
huius Arg.  
à Turria-  
no Propo-  
siti,

Atque vt summam faciam eorum quæ à  
nobis disputata sunt, probauimus hæc verba  
non ad Petrum, sed ad filium Dei viuentis  
esse referenda, quem Petrus confessus est, &  
super-

super quem vnà cum reliquis Apostolis Ecclesiam adificauit purissima Euangelij prædicatione. Hoc, inquam, probauimus ex ipsius loci circumstantiis, ex ipso loquendi genere, ex aliis Scripturæ locis de eadem re differentibus, ex ipsa fidei analogia: denique ex veterum doctorum sententia, qui cum Scriptura locuti sunt. Deinde ἀναστροφῆς ἐποίησεν, Turriani expositionem & sententiam, primùm esse verbo Dei contrariam, deinde sibi ipsi: ac refutauimus vulgatam illam sententiam de Ministeriali fundamento Petri, eiusque successione, explicata tum Ministerij, tum etiam successionis natura. Atque ostendimus eam fuisse naturam Apostolatus (qui fuit munus in Ecclesia extraordinarium & temporale) vt in eum ordinarij Ecclesiæ Ministri succedere non possint, & si possint, non Romanum Episcopum potius quàm Antiochenum, Hierosolymitanum, & permultos alios, potuisse vnquam de Petri successione gloriari.

Itaque superiori Sophismati veram hanc ἀντίφασιν ἄντιφασιν oppono. Christus apud Matthæum promisit se ædificaturum Ecclesiam super eam petram, quam Petrus, non humana vlla ratione, sed Spiritu Dei reuelante, confessus est, nempe Christum esse filium Dei viuentis. Atqui nostra Ecclesia eam ipsam fidei confessionem amplectitur, & constanter retinet, verū Christū ab idolo Christi discer

nens atque doctrinam Apostolicam ita suscipit ut velit ab ea vna pendere, reiectis hominum commentis. Nostra igitur Ecclesia vera est Ecclesia, ab ipso Christo per verum Euangelij Ministerium ædificata. Et, ex ratione consequentis, cum Ecclesia Romana non iam super petram, quam confessus est Petrus, sed super humana commenta, cuiusmodi est Pontificis primatus, fundata sit, nõ est vera Christi Ecclesia ab ipso Christo ædificata.

LOCVS III. IOHANNIS 21,

Pasce oves meas, &c.

*Sophisma Turriani.*

pag. 51. 74. *Hæc est vis articuli & pronominis, τὰ κοίβητα*  
 246. 247. *τάμου, ut Christus Petrum iusserit pascere*  
*quascunque oves suas, id est, Ecclesiam catho-*  
*licam. Quare consequens est, ut si quæ sint quæ*  
*ad Petri curam pasceendi non pertinent, nec o-*  
*ves illæ quidem Christi sint. Itaque duces gre-*  
*gis confessionis Augustanæ, & Antuerpien-*  
*sis, & Heluetiæ, & similibus non pertinent ad*  
*oves Christi: quandoquidem pasci nolunt à Pe-*  
*tro in successore eius, ac proinde extra Eccle-*  
*siam sunt.*

*Solutio*

*Solutio superioris Sophismatis.*

CVM post lapsum confirmandus esset Petrus, ne vel ipse, vel reliqui Apostoli de ipsius Ministerio & Apostolico munere dubitarent, eò factum est vt trinae abnegationi, trina Petri confessio fuerit opposita, cum trina quoque muneris Apostolici confirmatione. Itaque verbo pascendi Christus apud Iohannē in illo loco significauit, quicquid in docenda Ecclesia Petrus, tanquam Apostolus, præstare debuit. Nam tametsi omnes Ecclesiæ Ministri oues Christi pascunt. 1. Pet. 5. lôgè tamen excellētiori modo Apostoli dicuntur Ecclesiā pascisse. Christ' igitur inbet Petrum pascere oues suas, id est, fungi Apostolico munere, licet eius se indignū fœda illa abnegatione reddidisset. Simul etiā prædicat Christus fore vt nō tātum Petrus Ecclesiam doceat, sed etiam cœlestem doctrinam suo sanguine tandem obsignet. Ex quibus efficitur nihil hîc eximium collatum fuisse in Petrum, quod cæteris quoque Apostolis non conueniret. Quod ita esse cōfirmât superiora Christi verba apud Iohan. cap. 20. Sicut misit me pater, ita & mitto vos: Et apud Matthæum cap. 28. Profecti, docete omnes gentes: quibus exponitur verbum pascendi hîc vsurpatum: adde Ephes. 2. Superstruēt super fundamentum Apostolorū. Et Eph. 4. Dedit alios quidē Apostolos, &c. Et Act. 2. Erant perdurantes in doctrina Apostolorum. Qui omnes loci & si qui sunt

Vera expositio loci.

Confirmatio expositionis.  
Ex circumstantia loci.

Ex aliis Scripturæ locis.

confimiles, & de pascendis ouibus Christi  
 intelligendi sunt, & non de vno & altero, sed  
 de omnibus Apostolis dicuntur. Ex quo fit  
 vt Paulum suum Apostolatam asserens pro-  
 ferat docendi, id est pascendi munus, sibi à  
 Domino impositum, vt Rom. 1. Per quem ac-  
 cepimus gratiam & Apostolatam ad obedi-  
 entiam fidei inter omnes gentes. Et paulò post,  
 Græcis & Barbaris, sapientibus & insipienti-  
 bus debitor sum: itaque prompta est mea  
 facultas vobis quoque qui Romæ estis euā-  
 gelizare. Et 1. Corinth. 9. Sigillum Apostola-  
 tus mei vos estis in Domino. Atque, vt ad  
 verbum Pascendi redeamus, statim illic sub-  
 iicit Paulus, Quis, inquit, pascit gregem, &  
 ex lacte gregis non edit? Ex quibus perspi-  
 cum est omnes Apostolos pascisse gregem  
 Christi, & ad eos omnes præceptum de pa-  
 scendis Christi ouibus pertinere. Atque id  
 non tantum doctissimi quique veteres tradi-  
 dere, sed etiam hunc Iohannis locum ad om-  
 nes Ecclesiæ pastores accommodauerunt.  
 Sic enim Augustinus in Iohānem, Tract. 123.  
 hunc locum explicans: redditur, inquit, tri-  
 na negationi, trina confessio: ne minus a-  
 more lingua seruiat quàm timori. Et paulò  
 post, Qui hoc animo pascunt oues Christi vt  
 suas esse velint non Christi, se conuincuntur  
 amare non Christum: contra hos ergo vigi-  
 lat toties inculcata ista vox Christi: Pasce o-  
 ues meas, &c. Non ergo nos, sed ipsum a-  
 memus, & in pascendis ouibus eius, ea quæ  
 sunt eius, non ea quæ sunt nostra queramus.

Ex veteri  
 Doctorum  
 sententia.

August.

Idem

Idem Augustinus in lib. de Pastor. Multi erant Apostoli, & vni dicitur, pascue oues meas: In ipso Petro vnitatem commendauit, &c. Ipse ergo pascit vnus in his, & hi in vno, &c. Idem de verb. Dom. serm. 62. Commendabat Petro Christus agnos suos, qui pascebat & Petrum. Ergo fratres cum obedientia audite oues vos esse Christi, quia & nos cum timore audimus, pascue oues meas; hæc Augustinus. Sic porrò Cyprianus hunc Iohannis locum exponens De vnit. Ecclesiæ, Pastores, inquit, sunt omnes, sed grex vnus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus, vniuersi consensione pascatur. Quòd si fortè Turrianum cleri Romani auctoritas commoueat, eum audiat ita scribentem ad Clerum Carthaginensem apud Cyprianum in epist. de secessu Cyp. Christus, inquit, Simoni sic dixit, Diligis me? respondit diligo: ait ei, Pascue oues meas: hoc verbum factum ex actu ipso quòd celsit cognoscimus, & cæteri Discipuli similiter fecerunt. Atque hæc quidem de huius loci expositione.

Turrianus autem ad vnum Petrum, eiusque successorem Romanum pontificem suo more restringit hoc præceptum Christi; Pascue oues meas. Atque vt id efficiat profert articulum Græcum cum pronomine, cuius ait tantam esse vim, vt omnes oues Christi significet, atque ad eò quotquot vnquam futurae sunt: quas cum Petrus pascere iubeatur, neque id iam per se præstare possit, vtpote



iam pridem è vita sublatus, restat vt in suo  
 successore, nempe Pontifice Romano pascat  
 omnes oues Christi, id est, regnum in omnes  
 Ecclesias exercent. Sic Turrianus sibi vide-  
 tur præclare ratiocinari. Ego verò agnosco  
 argumentum Thomæ ex lib. aduersus erro-  
 res Græc. Sed ista expositio vel Thomæ vel  
 Turriani, atque adeò Pontificiorum omniũ  
 nec ipsis cõtextus verbis, nec huius loci cir-  
 cunstantiæ, nec aliis Scripturæ locis con-  
 sentanea est; imò ne ipsi quidem rerum  
 naturæ. Quis enim vnquam existimauerit  
 vnum Petrum omnes Christi oues pascere  
 potuisse? Cæterum rescire velim ex Turria-  
 no quamobrem hæc verba, Pasce oues  
 meas ad Põtificem Romanum longè postea  
 exoriturum, potius quàm ad Iohannẽ, Mat-  
 thæum reliquosque Apostolos dirigantur,  
 quos non minus fuisse ouium Christi pasto-  
 res quàm Petrum, supra confecimus. Ergo  
 perperam ira exponit Turrianus: pasce o-  
 ues meas, id est, Tu solus pasce: primùm qui-  
 dem per te ipsum, quandiu superstes fueris,  
 deinde per vnum tuum successorem nempe  
 Pontificem Romanum. Quæ quidem expo-  
 sitio non contenta est ipsius contextus fini-  
 bus, (sed Iesuitarum more) longè latèque  
 excurrit atque diffunditur. Itaque corrui-  
 t vel sola *ὑποπόσει*: nihil enim hic de primatu  
 Petri, nihil priuatim de vno Petri successore,  
 nihil de Romano Pontifice videmus, neque  
 tu etiam: nisi tibi fortassis idem contigerit  
 quod

Ex rerum  
 natura.

Ex circũ-  
 stantia lo-  
 ci.

quod illi, qui sibi duplices Thebas videre videbatur. Quin potius si velim vrgere hæc verba: *Amas me*, facile euertam tuum illud commentum de Pontificia successione. Amor enim Petri erga Christum fuit donum personale, non minus quàm eius fides, nec transire ad successorem nisi *κτ' μίμνησιν* vnam potest. Deinde uouam planè in hac quidem quæstione, significationem affingis verbo pascendi, dum eo significari putas summum Petri in vniuersam Ecclesiam principatum, fateor quidem aliquando ad potestatem *αὐτοκρατορικῶν* referri, nimirum cum de Deo dicitur: vt Psal. 80. fateor etiam verbum illud aliquando etiam tribui ipsis regibus, vt Psal. 78. Inde *ποιμένες λαῶν* apud Poëtam. Sed hoc ad ministros Ecclesiæ transferri debere, negat ipse Petrus 1. Petr. 5. his verbis: *Pascite*, inquit, gregem, non vt dominantes cleris. Neque me mouet quod ex hoc Petri loco obiicis vnicuique Pastori commendari quidem suum gregem, in hoc autem elucere primatum Petri, quòd omnium simul Ecclesiarum curam gesserit: hoc enim fecit Petrus vt Apostolus, non vt primus Apostolus, quòd fit vt Paulus affirmet sibi maximam omnium Ecclesiarum curam incumbere: agmen illud, inquit, in me quotidie confurgit, nempe sollicitudo de omnibus Ecclesiis. 2. Cor. 11. Quòd si Petrus dicto cap. 5. se presbyterorum *συμπαρεσβύτηρον* appellauit, non dominum, aut principem,

Ex verbo  
pascendi.

pag. 50.

quantò minus ius illud sibi in Apostolos ipsos arrogasset?

Vis articuli Græci in his verbis, τὰ ἀποβάρτα μου discutitur.

Hic autem, scilicet, promissum argumentum ex intima quadam arte, & linguæ Græcæ peritia, nôsque totos ad vim vnius articuli Græci reuocas. Nihil tē loci circumstantia, nihil alij Scripturæ loci consimiles mouent: ipsam denique rerum naturam quantumlibet reclamantem non audis, sed hunc vnum articulum vrges τὰ ἀποβάρτα μου, id est, inquis, oues omnes quascunque atque adedò quotquot dicuntur oues ( sic enim loqueris ) Atenim cùm ira dicat Christus : Oues meæ vocem meam audiunt, Ioha. 10. idem articulus præfigitur, neque tamen verum est eos omnes qui dicuntur oues Christi vocem eius audire, eumque sequi. Nam hypocritæ dicuntur quidem oues, sed tamen ( si propriè loquimur ) nec audiunt Christum, nec ipsum, sequuntur. Atque, vt ad articulum Græcum redeamus, quo vno nititur tua isthæc interpretatio, tantisper dum noua Grammatices præcepta nobis conficias, non credemus hanc esse vim articulorum apud Græcos, vt sint instar notæ vniuersalis, sed potius, vel vt rem ipsam demonstrent, vel ἐμφατικῶς augeant, vel discernant, vel etiam orationem tantam illustrent : adedò vt falsò ita concludatur : præponitur articulus : ergo hæc propositio est vniuersalis, vt patet ex sequentibus exemplis

plis

plis Rom. II. Prophetas tuos occiderunt, τοὺς προφῆτας σου, ( non omnes tamen ) Iohan. Sui eum non receperunt, οἱ ἴδιοι, quotquot autem receperunt, &c. ( non igitur omnes non receperunt ) Rom. 10. inuentus sum à non quærentibus me ( non tamen omnibus. ) Rom. II. Salus obtrigit gentibus ( at non omnibus ) Naturalibus ramis non pepercit, ( quibusdam tamen ). 1. Thessal. 2. Iudæi Christum occiderunt ( non omnes quidem ) Et sexcenta eiusmodi in quibus articulus appositus est, neque tamen propterea intelligenda sunt vniuersaliter. Atque vt à Grammatices scribibus diuellamur, nonne te strenuum videlicet disputatorem ars peritè disputandi docuit, Propositiones indefinitas non esse passim nectemerè cum vniuersalibus confundendas, sed ex circumstantia & pro ratione subiecti diiudicandas? Quid enim si quis vni cuiquam ex seruis præcipiat vt suam familiam curet atque administret, an illud propterea reliquos seruos ab officio renocabit? ita igitur statuamus: hæc Christi verba, Pasce oues meas, non vniuersalem omnium aggregationem, sed eorum qualitatem significare, qui erant adducendi ad Euangelij cognitionem. Est enim articulus in hoc loco *σχεπλιστός* non Collectiuus, quemadmodum existimas. Bis igitur à te in hac argumentatione peccatum est.

Refellitur  
Turr. ex  
ipsis Dia-  
lect. legi-  
bus.

Elench.  
Turria.

Etiamsi  
daremus  
Turriano  
eam pro-  
positionē  
esse uni-  
uersalem,  
nihil pro-  
pterea ef-  
ficeret.

Primum quidē, ἀπὸ τὸ ἅμα τῆς λέξεως cūm  
ex articulo vniuersalem propositionem col-  
legisti (vt modum imperādi taccam.) Dein-  
de etiam ἀπὸ τὸ ἐσόμενον, cūm ita perperam,  
id est Turrianicè concludis, Petrus iubetur  
pascere oues Christi, ergo solus: nam φέρω  
ἐνστασι de reliquis Apostolis. Vide igitur  
quantum tibi largiar, fac appositam esse no-  
tam vniuersalem, tamen nihilo magis ef-  
ficies id quod vis. Nec enim nouum est rem  
vnam multis in solidum committi. Esaias  
missus est ad vniuersos Iudæos, atque ijs-  
dem temporibus Oseas erga ipsos Iudæ-  
os munus propheticum obiit. Apostolis om-  
nibus ita dixit Christus, Eritis mihi testes  
vsque ad vltimas terras, Act. 1. Et aliquan-  
tò post ita Paulum affatur Ananias: Eris ei  
testis apud omnes homines, Act. 9. & 21. Et  
quamuis Paulus sæpe se Gentium Aposto-  
lum profiteatur, nemo tamen hactenus,  
qui modò sanus fuerit, aliquid propterea  
reliquis Apostolis detraxit. Quia verò in  
hac quæstione sæpe laudas Cyprianum,  
eumque grauissimum authorem appellas,  
in spem venio, te hæc illius verba agnitu-  
rum. Episcopatus, inquit, lib. De vnit.  
Eccl. vnus est, cuius à singulis in solidum  
pars tenetur. Ecce tibi solutio tui Sophis-  
matis, Turriane, non iam à nobis, sed ab  
ipso Cypriano, producta. Si enim singuli  
Episcopi vnus Episcopatus partem ita te-  
nent,

nent, vt ipsum Episcopatum in solidum teneant, quia est indiuisus : sequitur, explodendam esse tuam hanc conclusionem : Solum Petrum Christi omnes oues pascere, quia Christus dixit: pascere oues meas.

Quamobrem cum perperam verba Christi exponas, cum ineptè de alijs Apostolis neques quod de Petro affirmatur : Denique cum falsò addas in tua expositione, quod in ipso contextu non continetur, nempe de Petri successione, quam Romano Pontifici tribuis : concludimus totum tuum istud argumentum esse planè sophisticum, ac nullius momenti, adeò vt vel sola negatione refelli potuerit. Cōclusio

Retorqueamus igitur tuū argumentū hoc modo, Petrus iubetur pascere oues Christi, siquidem ipsum amat: Pascuntur autem oues Christi pura Euangelij prædicatione, sinceraque Sacramentorum administratione, ac cæteris alijs rebus præstandis, quæ ad Ministerium Euangelicum pertinent, quas quidem Petrus fidelissimè executus est. At Episcopi Romani nihil tale iam pridem fecerunt, sed, Pastoris pedo in Regium sceptrum conuerso, ipsi se pascunt, non oues Christi, imò ipsas oues, & quotquot purum Euangelium pofitentur, id est, Christum ipsum in suis membris non oderunt tantum, sed etiam gladijs & flammis insectantur. Ergo Romani Pontifices non sunt Petri successores, nec enim Christum amant, A. 2. 16. 2. 1. 1. 1.

nec eius oues pascunt, quod vtrunque fecit Petrus.



LOCVS IIII. ACT. 10. & 11.

Exorsus Petrus omnia exposuit eis ordine, dicens, Ego eram in ciuitate Ioppe precans: & visum in mentis excessu vidi, nempe descendens vas quoddam ceu linteum magnum, quatuor extremis demissum è caelo, & ad me vsque venit, &c.

*Sophisma Turriani.*

Pap. 32. 33.  
34. 35. 36.

*Linteum illud significabat in enigmate Ecclesiam catholicam, quæ præceptis & doctrina quatuor Euangeliorum ligatur, quæ quidem quatuor Euangelia ab initis suis legi in Ecclesia consuerunt, cum dicitur, Initium sancti Euangelij secundum Mattheum, Marcum, Lucam, & Iohannem. Quod igitur tunc in enigmate illius linteus beato Petro præcepit Dominus, postea sine vlllo enigmate sanctis Apostolis præcepit, cum dixit, Euntes docete omnes gentes. Linteum autem venit vsque ad Petrum, ut dicitur expressè in contextu, vnde efficitur eam Ecclesiam quæ non venit per obedientiam vs-*

*que*

que ad Petrum in successoribus eius, non esse partem Ecclesie catholice.

*Solutio superioris Sophismatis.*

**H**OC Argumentum est allegoricum. Itaque videndum est quatenus eiusmodi argumenta valere debeant. Libenter audio Hieronymum docentem, Allegorias esse, non ex legentis voluntate, sed ex scribentis autoritate intelligendas. In 4. cap. ad Galatas. Duo sunt igitur potissimum in Allegoriis spectanda: vnum, vt. in Scriptura fundamentum expressum habeant, alterum, vt simus contenti ea applicatione, quam nobis Scriptura ipsa suppeditat, neque per remotas & alienas interpretationes vagemur. Cum autem Turrianus ea non obseruauerit, ideo nihil potest concludere, quanuis clamet sua hæc argumenta esse *deus em. linc.* & veritatem astringere. Quod vt planum fiat, iam nobis de hoc Petri visio differendum est.

De argumentis allegoricis.

Primum omnium cum Petrus ipse verbis quam apertissimis illud visum exposuerit, quænam est hæc, vel inscitia, vel impudentia, Petro repudiato, nouam profus & alienam expositionem comminisci. Nam visum illud Petro cæcus oblatum significauit gentes esse capaces Eu-

Vera expositio loci, ex ipso Petro & loci circumstantia.



angelicæ prædicationis, neque iam earum commercium esse fugiendum: sic enim ipse Dei Spiritus exposuit, quemadmodum narrat Lucas: Petro, inquit, cogitâte de visione, dixit ei Spiritus: ecce tres viri quærent te, surgens itaque descende & proficiscere cum eis, nihil ambiens, &c. Petrus etiam intellexit eò visionem illam spectare sicut testatus est Cornelio his verbis, ostendit mihi Deus ne quem pollutum aut impurum hominem dicerem. Et paulò post, in veritate, inquit, comperio, Deum non accipere personam. Postremò fideles ex circumcissione eodem etiam modo visionem intellexerunt, teste Luca Act. ii. his, inquit, auditis, quieuerunt & glorificauerunt Deum dicentes: nempe etiam gentibus Deus dedit respicientiam ad vitam. Cùm autem illud ipsum munus reliquis Apostolis incumberet, non autem soli Petro (quod & Turrianus agnoscit, cùm ait, Id quod beato Petro præcepit Dominus in ænigmati illius linteï, postea sine vilo ænigmati sanctis Apostolis iniunctum fuisse, cùm Christus eos iussit ire ad texendum linteum, id est, inquit, Turrianus ad ordiendam Ecclesiam instar linteï, cùm dixit, euntes, docete omnes gentes) efficitur, vel ipso Turriano assentiente, aut certe sibi non constante, hoc visum ad Petri principatum accommodari non posse, quanto verò minus ad texendum linteum Romani Pontificis, id est, ad eius regnum in Ec-

clesia

clesia stabilendum? Hæc sunt igitur ipsa luce clariora, siquidem Turrianus oculos haberet. Veramenimvero ita sudat in singulis huius visionis partibus allegoricè discutiendis: ita linteï cœlitus demissi texturam, formam, & quatuor extrema curiosè tractat, vt propemodum linteum ipsum vtraque manu prehendere, totisque viribus rapere videatur, vt illud ad suum Pontificem quouis modo detorqueat.

Quid si autem ex te quæram, Turriane, quamobrem ea visionis interpretatio quam Petrus ipse in medium attulit adeò tibi non satisfecerit, vt malueris alienam prorsus & ineptam interpretationem obtrudere? hæcine est summa illa Petri autoritas quam singulis propè paginis inculcasti? ecquonam ore Petrum vocas Apostolorum principem, summum Ecclesiæ doctorem, denique ipsius Ecclesiæ caput & fundamentum, si tua commenta sanctissimæ eius interpretationi doctrinæque non dubitas anteferre? Audiamus enim mirificam hanc tuam interpretationem: linteum venit vsque ad Petrum, id est (ex commentario Turriano) omnes debent esse subditi Petro & Pontificibus Romanis eius successoribus.

Turrianus totam Ecclesiam Petro subiiciens, se tamen Petri interpretationi non subiicit.

Exposit. Turriani refellitur.

Quod certè est merè ἀδολοχεῖν, aut eo etiam aliquid peius. Tradunt philosophi Sophistarum argumenta esse μὴ ὄντα quidem, sed tamen φαινόμενα: at istud tuum, Turriane, est ἂν τῶν μὴ ὄντων, καὶ μὴ φαινομένων. Hic

enim nō modò nō neruos argumēti, sed nul-  
lum etiā argumēti colorē, nullam speciē a-  
nimaduerto, licet vim huius cōnexi magno-  
pere commendes. Cæterum planè nugaris  
cūm quatuor illius linteï extrema, quæ vetus  
interpres conuertit, initia, tu ἀλλήγοροῦ μῦθος,  
ad tuam Ecclesiam accommodas, in qua ista  
sæpe decantantur: initium sancti Euangelij

Cur ponti-  
ficij toties  
recantent  
initium san-  
cti Euan-  
gelij.

fecundum Matthæum, &c. Ego verò ita po-  
tius interpretor: vos hoc vocabulum initij  
semper repetere, quandoquidem ad initium  
Euangelij tanquam ad ipsum limen adha-  
rescitis, neque vultis ingredi in plenam E-  
uangelij cognitionem. Sed vt ad visum Pe-

Refellitur  
Turria, ab  
Augustino.

tri redeam: miror profectò qui fieri potuit  
vt Augustinus totam hanc visionem accura-  
tissime ac propemodum curiosè pertractās,  
nullamque eius vel minimam eius partem  
intactam relinqueñs, tamen ad istud acu-  
men Turriani peruenire non potuerit. Nam  
tantum abest vt hunc locum ad primatum  
Petri referat, aut ad Petrum ipsum restrin-  
gat, vt potius dicat ad vniuersam Ecclesiam  
pertinere, cuius hic Petrus tantum perso-

non in  
indul

non in  
indul

nam gesserit. quinquag. hom. hom. 45. Agè  
porrò ( vt alia etiā expendamus ) qui tan-  
topere delectaris Græcis dictionibus enu-  
cleandis, &, quasi solus Athenas nauigave-  
ris, soles identidem alios ad leges Gram-  
maticas reuocare, quæ nã vnquam lex Gram-  
matica tibi permittat ita dictionem ἀχρῆς in-  
terpretari, vt non in vno Petro subsistat, sed

Item ex  
dictione  
ἀχρῆς.

in infinitum ad eius omnes successores extendatur? Quinetiam si allegoricè etiam tecum agere libeat, facillimum fuerit tuam illam interpretationem ac totum tuum argumentum refellere. Cum enim illa animalia linteo inclusa significarint non iam collectam Christianorum Ecclesiam, sed eos solos quibus nondum Euangelij veritas illuxerat, & (vt inquit Basilius in 14. capite Efaia) qui variegatis peccatorum maculis aspersi, conciliandi erant fidei nostræ, consequetur ( siquidem vis hanc visionem Romano Pontifici accommodare, & præscriptis verbis ex hac visione argumentari) non eius esse munus imperium exercere in Christianos, sed potius Euangelium prædicare Turcis, & id genus infidelibus, eosque cum assiduis concionibus, tum vitæ sanctimonia ad Christianam Religionem adducere: idque non per aliquot emissarios ( ne tu mihi Iesuitas fortè commemoras ) sed per seipsum præstare debere, quia linteum venit vique ad Petrum: ac tum vrgebo tuum illud *ἀρχιε*, & proferam ipsius Petri assiduè concionantis exemplum. Cum autem videam tuos Pontifices valde alienos ab hoc suscipiendo munere, inde colligo, linteum istud de quo agimus, ad ipsos vique nondum peruenisse. Iam ergo mecum, Turriane cõsidera, quanto intervallo distent Romani Pontifices ab hoc linteo, & ab exemplo Petri. Is enim gen-

Expositio  
Turriani  
in Pontificem  
retorquetur.

tes (vt ais & rectè quidem) verbi Dei gladio  
mactauit, dum eas ab impurissimo idolorũ  
cultu ad purissimum Euangelij lumen tra-  
duxit: Pontifices verò, innumerabiles pro-  
pè homines Euangelij cognitionem ample-  
xos, eam ipsam ob causam, tanquam inno-  
centes victimas, abhinc annos septuaginta  
mactare non destiterunt.

Atque hæc de tua illa allegorica exposi-  
tione, cui verã hãc ἀντίφασιν oppono. Lintheũ  
cælitus demissum ad Petrum vsque fuit si-  
gnum Ecclesiæ Catholicæ, quæ doctrina &  
præceptis Euangeliorum ligatur, non minùs  
quàm lintheum illud quatuor extremis re-  
uinctum erat: (ita Turriano exponente.) At  
Romanus principatus non fuit demissus è  
cælo, sed ex terrena potentia, & humana  
ambitione surrexit, & viget in ea Ecclesia,  
quæ non doctrina, neque præceptis Euan-  
geliorum ligatur, sed potius humanis de-  
cretis, atque institutis, denique humanis vi-  
ribus vndique reuincta est. Quare neque  
Romanus principatus, neque Romana Ec-  
clesia quicquam habet commune cum signo  
linthei quod Petro ostensum est. Neque verè  
nomen Ecclesiæ catholicæ sibi tribuit.

\*\*\*

LOCVS V. I. P E T R. 3.

Cùm appareretur arca in qua panis,  
id est, octo animæ seruatae sunt per a-  
quam

quam, cui nunc correspondens exemplar Baptismi nos quoque seruat, (non carnis depositio sordium, sed conscientia bonæ interrogatio in Deum) per resurrectionem Iesu Christi.

*Sophisma Turriani.*

Baptismus debet esse similis formæ cum Arca: (sic enim ἀντίτυπον vetus interpres reddidit) pag. 27.  
28.29.30.  
arca autem Noë fuit figura Ecclesiæ Catholicæ, nam vt arca diuersas habuit mansiones, quas septuaginta interpretes nidos vocarunt, sic singulæ Ecclesiæ, velut nidi sunt in ipsa illa Catholica Ecclesia constructi. Vt igitur erant in arca filij Noë, ac quisque eorum caput vxoris suæ: & rursum horum qui capita erant, caput erat pater Noë qui eos procreauerat, ac loca eis cum eorum vxoribus in arca assignauerat: sic singulas Ecclesias Episcopi tenent qui earum capita sunt, & horum caput est in successoribus suis Petrus Euangelicus Noë, vt vetus Noë caput erat filiorum, qui vxores quoque habebant. Petro autem Episcopi Romani in eadem arca mystica, id est, in Ecclesia, perpetua serie, successerunt.

• *Solutio superioris Sophismatis.*

ECCe autem aliud argumentum ἀλληγορηματικόν nihil fortius superiori. Iam enim Turrianus non ita vt decet ex allegoria argumētatur

consecimus, allegorias non aliter concludere, nisi quatenus ab ipsa Scriptura, non tantum proposita, sed etiam exposita sunt. Cum autem Petrus in hoc loco nihil dicat de suo primatu, nihil etiam de suis illis successoribus, quos semper Turrianus in ore habet, hinc fit, ut planè iaceat totum hoc argumentum allegoricum. Instat tamè Turrianus, & ait Petrum Ecclesiam cum arca Noè comparasse, ad eò ut iam non sit probabilis cōiectura inquit, sed ipsa veritas. Equidem non dubito de veritate eius doctrinæ quam tractat Petrus, neque de illa vllus ynquam Christianus dubitauerit, sed nihil propterea accedit causæ Turriani, quandoquidem longissimè distat Petri veritas à Turriani mendaciis. Quia verò vult videri *ὑποδεικτικῶς* disputare, operæpretium est rem ipsam accuratius considerare, ut videamus num hoc eius argumentum veritatem (ut ille dicere solet) astringat. Primum, si præscriptis verbis agendum est, nego illic Ecclesiam à Petro cum arca Noè comparari, nec satis sibi constat Turrianus cum ait Baptismum esse similis formæ cum arca, sic enim non Ecclesiam sed Baptismum cum arca comparat. Certè postquam Petrus dixit octo animas fuisse in arca Noè per aquam seruatas, tum subiicit: cui, inquit, *ἀντίτυπον* Baptismus nos seruat. Ita cum Ecclesia ne nominetur quidem, & Petrus non de Ecclesia tractet sed de Baptismo, vereor ut possit *ὑποδεικτικῶς* ex hoc loco probari, Ecclesiam esse *ἀντίτυπον* arca Noè, (id est, correspondens

Locus Petri  
discutitur.

spondēs exemplar : sic enim melius exprimitur vis Græci vocabuli ) ne vrgeam relatiuū quod ad *τὸ κίβωτον* referri non potest. Itaque, Turriane, ex his Petri verbis poteris per me *ὑποδείξει* conficere de Baptismo, & præclaris eius effectis : sed non video quī possis ita longè excurrere, vt facis, in huius similitudinis applicatione, siquidem Petrum ducem sequi velis. Citas Augustinum in lib. de vnit. Ecclesiæ, sed ille planè te redarguit, cum profitetur se nosse ex hoc Petri loco argumentari, nisi quatenus eius expressa verba ferre possunt, adeò vt non ausus sit ex hac arcæ similitudine probare, Ecclesiam fuisse ex omnibus hominum generibus congregandam aduersus Donatistas. Itaque recurrit ad alias probationes. Tu verò longè scilicet Augustino audacior, sic contendis: Baptismus est in Ecclesia, inquis. Certè, sed si ita Syllogismum institueres, Baptismus est *ἀντίτυπον* arcæ Noé ( vt ait Petrus ) Baptismus autem est in Ecclesia, Ergo Ecclesia est ipsius arcæ *ἀντίτυπον*: te profectò vel tota Iesuitarum schola exhibilaret. At enim veteres sæpenumero hanc similitudinem vsurparunt. fateor, atque addo, non vnā tantum, sed variis rationibus: nunc, vt ostendant malos cum bonis in Ecclesia esse commixtos: nunc, vt doceant extra Ecclesiam, salutem non esse: nunc denique vt affirmant iactari quidem Ecclesiam variis procellis, nunquam tamen submergi posse. Possent & aliæ huius similitudinis rationes afferri: nec

De August.  
sententia.

Argumen-  
tatio Tur-  
riani discu-  
titur.

quo pacto  
veteres ar-  
cam Noé  
cum Eccle-  
sia compa-  
rarent



obsto quin eam præclare inducant Theologi pro instituti sui ratione: sed hoc contendendo, aliud esse rem similitudinè illustrare, vt facilius doceas, aliud autem *ἀποδεικτικῶς* argumentari, quod te hic facere gloriaris, sed falsò. Verùm, vt hoc dissimulem, quæro, num Petrus aliquid tradat quod vel tantillum accedat ad tuam allegoricam expositionem, vel potius quod non eam euertat? Petrus enim *ἀντίτυπον* liberationis Noé statuit in Baptismo, non in eo quidem visibili & exteriori, sed in spiritali *ἐσωτερικῶς*, & in eius effectis (vt patet ex his Petri verbis, Non carnis depositio sordium, &c.) tu verò *ἀντίτυπον* arcæ ponis in Ecclesia visibili, & in eius Episcopis, & sic longissimo interuallo à Petri sententia dissides. Quantò melius Nazianzenus? qui corruptelas Episcoporum describens, se arcam Noé quærere exclamauit. Carn. ad Episcop. nimirum non in externa Episcoporum larua *ἀντίτυπον* arcæ Noé constituens. Quis autem risum teneat, qui te ita differentem audierit? quemadmodum, inquis, Noé fuit caput suorum liberorum, ita & Petrus & eius successor est visibile caput Ecclesiæ: quin etiam addis tres filios Noé representasse Episcopos, & filiorum Noé vxores, representasse particulares Ecclesias, quarum Episcopi sunt capita. Acutum sanè disputandi genus, & planè *ἀποδεικτικόν*. Verum enim uerò vnum omisisti, Turriane, quod valde ad rem tuam facere videbatur: nempe Romanam

Turrian.  
refellitur  
ex ipso P.  
triloco.

Item à Na-  
zianzeno.

Turrian.  
argumenta  
tio solo ri-  
su eiicien-  
da.

nam

nam Ecclesiam, (quam ex tua similitudine  
 vxor Noé repræsentauit) velle cæteras om-  
 nes supereminere, quemadmodum vxor Noé  
 inter suas nurus excellebat. Quòd si ita est,  
 non satis rectè dicitis in vestris decretis, Ec-  
 clesiam Romanam esse matrem reliquarum  
 Ecclesiarum, can. non decet. distin. 12. cum  
 eam potius Ecclesiarum nouercam dicere  
 debeatis. Quamobrem cum nobis contu-  
 meliosè obiciis, nos esse proteruo illi filio si-  
 miles, qui patrem Noachum ludibrio ha-  
 buit, satis indicas te non esse tui memorem,  
 qui tres illos Noachi filios cum Episcopis  
 tuis comparasti, quos quidem tuo illo sale  
 aspergere debebas. Sed est etiã aliud quod  
 tibi grauius succenseant Pontificij. Nam  
 in tua allegorica descriptione Pontificem  
 quidem Noacho, & Episcopos tribus Noa-  
 chi filiis similes facis: Archiepiscopis verò &  
 Patriarchis nullum in arca locum reliquisti.  
 Obsecro, eosne ex arca in aquas diluuij de-  
 turbasti? quin etiã illos ipsos Cardinales in  
 arca tua non reperio, nisi fortè lateãt in qui-  
 busdam brutorum animalium nidis, quos vo-  
 cas. Præterea occurrit etiam aliud valde ab-  
 surdum in hoc tuo idolo *ἀλλήγεμῶς*: vt enim  
 Pontif. Rom. creat suos Episcopos & Cardi-  
 nales, ita vicissim olim ab Episcopis, nunc à so-  
 lis Cardinalibus creatur, quod nescio (nisi suc-  
 curras) qua ratione possit vnquã Noachi filiis  
 cõuenire. Nã eos à patre Noacho progenitos  
 quidẽ legimus, at patrẽ fuisse vnquã à libe-  
 ris progenitum, inauditum est. Quid etiã facies

Ecclesia  
 Romana  
 Ecclesiarum  
 nouerca,  
 non mater,  
 ex argumẽ  
 to allego-  
 rico Tur-  
 riani.

Allegoria  
 Turriani  
 valde ad-  
 uersatur  
 Põtificiis.

Refellitur  
 à Iust. Mar-  
 tyre.

Sibi non  
constat, &  
est perab-  
furda.

In Turr.  
retorque-  
tur.

Iustino Martyri auctori vetustissimo, qui lo-  
cum hunc Petri explicans in Thryph. docet  
Christum fuisse representatum in Noacho,  
eò quòd Christus principium fuit alterius  
generis regenerati ab ipso per aquã. Quid?  
quòd si arca fuit typus Ecclesiæ, necesse est  
vt Noé non tantum liberorum, sed etiam i-  
pſius arca fuerit caput, siquidẽ Pontifex Ro-  
manus est caput Ecclesiæ vniuersæ, quemad-  
modum disputas? Denique (vt videas quã  
parum sibi cõstet tua allegoria) nunc Eccle-  
siarum singularum *avstruor* constituis in fi-  
liis Noé, & eorum vxoribus, nunc in illis ni-  
dis quibus varia animalium genera conclu-  
debantur. Quid? Noé fuitne caput illorum  
animalium? negas: est enim perabsurdum.  
Concludam igitur ex hac tua allegoria Ro-  
manum Pontificem non esse caput Ecclesia-  
rum. Enimuero, Turriane, cum te istam Al-  
legoriam tractãtem video, gregalesque tuos  
Monachos, in illis arca nidis includentem,  
mihi in mentem venit eius quod aliquando  
Chrysoſtomus dicebat: Ecclesiam esse arca  
Noé longè præstantiorem: quandoquidem  
hic immunda animalia semper eadẽ reman-  
serunt: at in Ecclesia, immundi homines  
mundi redduntur per Euangelij prædica-  
tionem. Itaque te tuosque Iesuitas adhortor  
(quos ego inter immunda animalia recen-  
seo) vt abiectis errorum superstitionumque  
fordibus, atque percepta Euangelij purita-  
te, ex immundis, munda tandem animalia e-  
uadatis. Hæc sit igitur refutatio huius Al-

legoriæ à Turriano propositæ: cui ego ve-  
ram & perspicuam hanc Allegoriam op-  
pono.

Quemadmodum diluuij tempore, cum *Africæ*  
aquæ vniuersam terram inundantes, ipsa e-  
tiam summa montium cacumina supera-  
rent, Noë cum tota familia in arcæ latebris  
delituit, donec nouo salutis exorto die, rur-  
sus in lucem prodiit: ita Pontificiis errori-  
bus longè latèque per vniuersum terrarum  
orbem diffusis, cum Romani Pontifices sum-  
mos Imperatores, ad pedis osculum ada-  
ctos, tanquam summa montium cacumina,  
horrenda quadam inundatione obruerent,  
tum Ecclesia Dei velut in arca Noë conclu-  
sa, in tenebris delituit, donec tandem hisce  
nouissimis temporibus exorto prædicatio-  
nis Euangelicæ fulgorè, è squalore & tene-  
bris emerfit, & aliquot pii ac verè Christia-  
ni principes, iam non oppressi Pontificiis  
erroribus, sublato capite, lucem Euangelij  
clarissimam conspexerunt: quos dum eo  
nomine flagellat Turrianus, non iam in ho-  
mines, sed in ipsum Deum lucis authorem  
suum illud maledicetia virus euomit, totum  
orbem, si possit, nouo superstitionum dilu-  
uio libenter submersurus.

Pag. 330. 331  
162, & c.

LOEVS VI. EZECH. 34.

Ecce ego iudicabo inter ouem & o-  
uem, & inter arietem & arietem.

E ñj

*Sophisma Turriani.*

Pag. 50.  
51. 52.

Episcopus vocat arietes, tanquam ductores gregis, id est, duces quisque gregis sui, ut sunt arietes duces omniū. Ergo cōsequēs necessario est, secundū rationem ac naturam, illis non minus opus esse Pastoribus, quā gregi ouium, id est, laicis, imò etiam magis, ne qui aliorum duces sunt, ipsi errent, & alios in errorem mittant. Petrus autem & post eum Romanus Pontifex eius successor, est pastor arietum, id est, Episcopus Episcoporum.

*Solutio superioris Sophismatis.*

Arg. Tur.  
allegori-  
cum.

Non magnam fortasse gratiam à Pontificiis iniit Turrianus, qui toties à brutis animātibus petiit Ecclesiæ Romanæ confirmationem. Nos autē repetere cogimur quod iam antè monuimus, similitudines quas Dei Spiritus in sacris literis vsurpat, nunquam esse in alienum sensum detorquendas, ut enim aquæ dum alueo continentur, vtilis; dum autem extra ripas diffluunt, non tantum inutiles sed etiam saepenumero periculosa sunt: ita etiam si sacras similitudines ex proprio loco deductas, in alienum sensum conuerteris, non obseruata ipsarum similitudinum ratione, neglecto fine, spre-  
tisque

spretis que locorum circumstantiis, certè non  
 iam eas similitudines vocabo, sed similitudi-  
 num depravationes. Atque ut ad hanc Eze-  
 chielis ἀλληγορίαν accedamus, Propheta non  
 solos Sacerdotes & Leuitas, sed vniuersum e-  
 tiam populi corpus grauissima hac obiur-  
 gatione comprehendit. Itaque pastorum  
 nomine tam sacerdotes quàm Magistratus  
 intelligit, reliquos autem significat ouium,  
 arietum & hircorum nominibus. Quia ve-  
 rò non tantùm inter pares erat dissensio, sed  
 etiam qui potentiores erant, opprimebant  
 alios, non minus quàm cum hirci petunt  
 cornu arietes, ut eos extrudant: idcirco  
 Dominus per Prophetam denuntiat se illo-  
 rum omnium iudicem futurum, translato  
 sermone à Pastoribus ad oues, id est, à Præ-  
 fectis, ad populum. Hæc est sententia hu-  
 ius loci, quemadmodum vel ipsi Hebræi do-  
 ctiores exponunt, quos Hieronymus & do-  
 ctissimi quique recentiores propemodum  
 hæc sequuntur. At Turrianus arietes expo-  
 nit Episcopos, & hircos principes: atque ita  
 planè discedit ab Ezechiele, qui non arie-  
 tum, sed Pastorum nomine veteres sacerdo-  
 tes intellexit. Est etiam prorsus ineptū Epi-  
 scopos cum arietibus comparare (nisi fortè  
 Turrianus ad bicornem Episcoporum mi-  
 tram alluserit) quandoquidem arietes non  
 gregè pascunt, sed in grege ipso pascuntur: est  
 autè Episcoporum munus, pascere Ecclesiã  
 Dei, ut antè dictū est. Postremò cum passim

Turrianus  
 sacrarū si-  
 militudinū  
 deprava-  
 tor.

Expositio  
 loci excius  
 circumstā-  
 tia & sen-  
 tentia ve-  
 terum.

Expositio  
 Turriani  
 refellitur.

in Scriptura Episcopi vel Presbyteri vocentur Pastores, non debuit Turrianus (praesertim argumentando, & disputando) ab hoc usitato loquendi genere recedere, & ipsos

Turrianus  
pastores  
in arietes  
conuertit.  
monstrum  
hominis.

Pastores in arietes conuertere, quod certè monstri simile videri possit. Verùm audiamus quàm bellè locum hunc exponat. Arietes, inquit, sunt duces ouium, & Episcopi duces quisque gregis sui. Vt igitur arietes habent opus duce, ita Episcopi Pontifice à quo ipsi regantur. Satin sanus es, Turriane, qui ita

ludas in re seria? ecquis enim Pastor tam ignarus vnquam ac rudis fuit rei Pastoritiae vt curam ouium arietibus commiserit. Sed, ne teram tempus: cum ita ratiocinaris oportere esse aliquem, qui iudicet inter arietes, &

Turrian.  
refellitur  
ex ipso loco  
Ezechielis.

simul profers Romanum Pontificem: refellat te Dominus ipse apud Prophetam his verbis, Iudicabo, inquit, inter ouē & ouem, inter arietes & hircos. Ergo Deus ipse sibi partes iudicandi deposcit. Tu verò bonus scilicet interpres Ezechielis sic exponis: iudicabo, inquit Dominus, id est, iudicabit Pontifex Romanus: atque ita tuo more grauitè

Elench.  
Turriani.

peccas *κατὰ τὸ ἐπιόμενον*, & quod est longè grauius tenebras (quantum in te est) offundis clarissimo vaticinio de Christo: ad quem locum hūc Ezechielis pij omnes doctores cum

Solus  
Christus E  
piscopus  
Episcoporum.  
1. Petr. 5.

veteres tum recentiores retulerunt. Vt igitur meliùs intelligas quis nā sit ille summus Episcoporum Episcopus, audi quid dicat Petrus Episcopis vel Presbyteris, cum, inquit, apparuetit ille Pastorū princeps, id est,

Christus,

Christus, reportabitis immarcescibilem gloriae coronam. Audi quemadmodum loquatur Apostolus ad Hebræos, dum ait Deum pacis magnum illum ouium Pastorem Dominum nostrum Iesum à mortuis reduxisse. Audi denique quid affirmet Cyprianus, ubi docet, singulis Pastoribus portionem gregis adscriptam esse, quam regat unusquisque rationem sui actus Domino redditurus. Quæ omnia si te minus mouent, saltem moueant ipsa Pontificum decreta distin. 99. quibus interdicitur, ne Romanus quidem Pontifex vniuersalis appelletur. Caterum quid tibi vis dum addis etiam Pontificem iudicare inter hircos, id est ipsos Reges & Magistratus? Num etiam ut Pontifices de ciuilibus omnibus causis & cognoscant & iudicent, tandem igitur aduertite quam sit inepta hæc tua argumentatio ex loco Ezechielis. At enim ne sine auctore loqui videaris, citas Clementis libros de constituto. Apost. Hic non disputo vel de nomine Clementis, vel de auctoritate & fide eorum librorum, quorum fragmentis tuus iste liber, perinde refertus est, ut si libros illos describendos suscepisses. Sed quicumque tandem sit illorum librorum auctor, non recte citauit locum Ezechielis hoc modo: Iudicabo inter arietes & arietes: Cum ita legendum sit ex Hebræo contextu: Iudicabo inter arietes & hircos, quod postea Hieronymum citas agnoscis. Atque ita friget tuum illud argumentum parabolicum. Quinetiam tuus Clemens, licet magnus Pontificum principatus assertor, nihil tamen tale profert quale

Heb. 13.

lib. 1. ep. 3.

Libri Clementis de Constit. Apost. Iepif. simè à Turriano citati.



Turrian.  
refellitur  
ab Auguft.

tu fomnias: sed hoc tantum: Deum fore iudicem non Episcoporum modò, sed etiam laicorum. Quæ sententia vera quid est, sed non satis aptè ex illis Prophetæ verbis elicitur. Miror autem cur non potius Augustinum citaueris, qui librum integrum de Pastoribus composuit in hoc 34. caput Ezechielis: ubi etiam multa de Petro commemorat: adeo ut conijciam te lapsu *μνημονικῶς* Augustinum prætermisisse. Quare, ut tibi gratificer, subiiciam quod oblitus es in tuo libro inferere. An fortè, inquit Augustinus, quia modò non inuenitur Petrus (iam enim assumptus est in requiem Apostolorum & Martyrum) non est cui dicat securus Dominus ouium, Pasce oues meas? Itaque ait Augustinus: cui Turrianus continuò responderet Petrum adhuc viuere, & esse visibilem in Romano Pontifice. Sed longè aliter Augustinus hanc quæstionem soluit. Sic enim aliquantò post: Quæ sunt oues meæ vocem meam audiunt; inquit Christus. Hic inuenio omnes Pastores bonos in vno Pastore: non enim verè Pastores boni defunt, sed in vno sunt. Multi sunt, qui diuisi sunt: hic vnus prædicatur, quia vnitas commendatur. Item, omnes boni Pastores in vno sunt, vnum sunt: illi pascunt, Christus pascit. Non enim vocem suam dicunt amici sponsi, sed gaudio gaudent propter vocem sponsi: idem ergo ipse pascit, cum ipsi pascunt, & dicit ego pascō, quia in illis vox ipsius, in illis charitas ipsius. Nam & ipsum Petrum cui commendaui

dauit oues suas, quasi alter alteri vnum se-  
 cum facere volebat, vt sic ei oues commen-  
 daret, vt esset ille (nempe Christus) caput, il-  
 le (nempe Petrus) figuram corporis porta-  
 ret, id est, Ecclesiæ, & tanquam sponsus &  
 sponsa essent duo in carne vna. Item, etiam  
 cum ipse Petrus erat, & cum adhuc ipsi Apo-  
 stoli erant in hac carne, & in hac vita, tunc  
 ait ille vnus, in quo vno omnes vnum: habeo  
 alias oues quæ non sunt de hoc ouili, oportet  
 me & eas adducere, vt sit vnus grex, & vnus  
 Pastor. Sint ergo omnes in pastore vno, &  
 dicant vocem Pastoris vnã, quam au-  
 diant oues, & sequantur Pastorem suum,  
 & non illum, aut illum, sed vnum, & omnes  
 in illo vnã vocem dicant, diuersas voces  
 non habeant. Hæc Augustinus: quibus v-  
 num Christum Ecclesiæ catholicæ pastorem  
 agnoscit, non quem vnus Episcopus inter  
 alios κατ' ἐξουσίαν representet (quod vult Tur-  
 rianus) sed in quo omnes Ecclesiæ Pasto-  
 res, vnum sint. Quod si queratur vbi nam vox  
 Christi Ecclesiæ catholicæ Pastoris audia-  
 tur, ita respondet Augustinus: pascam eas,  
 inquit, super montes Israelis. Constituit  
 montes Israël authores Scripturarum di-  
 uinarum: ibi pascite, vt securè pascatis quic-  
 quid inde audieritis, hoc vobis benè sa-  
 piat: quicquid extra est, respuite, ne erretis  
 in nebula. Audite vocem Pastoris: colligi-  
 te vobis ad montes Scripturæ sanctæ: ibi  
 sunt deliciae cordis vestri: ibi nihil veneno-  
 sum, nihil alienum, vberissima pascua sunt;

Ibid.

vos tantum sanè venite, sanè pascimini, & cætera plusquam aurea, quibus fidelis ille pastor suum gregem adhortabatur ad audiendam Christi summi Pastoris vocem, in Sacris literis resonantem: I nunc, Turriane, cum tuis Clemètinis constitutionibus, atque interim dum te abdes in tenebricosos bibliothecarum recessus, ut illic obscuris & rancidis fragmentis famem, si possis, expleas: nos in Scripturarum montibus editis, conspicuis, & ante oculos omnium positis, versabimur, & eorum purissimis ac suauissimis alimentis refecti, in pascuis illis vberimis acquiescemus.

Αντίφασις  
Prima.

Iam ex hoc Ezechielis loco, quem Turrianus Pontifici & Episcopis accommodavit, ita nos argumentemur, non ex Allegoriis longè petitis, sed ex ipsius Prophetæ planis & expressis verbis: Dominus gravissimam sententiam tulit in Pastores Israeliticos, eò quod seipso non gregem pascissent, pingue comedissent, quod crassum erat, mactassent, debiles oves non confortassent, egrotas non sanassent, confractas non obligassent, perditas non quæsiuissent: quin in duritia & sauitia dominati essent eis. Hæc autem omnia rectè quadrant in Pontificem & eius Episcopos, adeò ut Turrianus, quanvis nihil tale cogitans, rectè tamen hunc locum ipsis accommodauerit. Nam non gregem, sed seipsi pascunt, pingue comedunt, quod crassum est mactant, debiles oves non confortant, egrotas non sanant, confractas non obligant,

ligant, perditas non quærunt, quin potius in duritia & sæuitia eis dominantur. Quare Deus qui semper sui similis est, iudicabit inter falsos istos Pastores, & afflictam vexatamque Ecclesiam. Item, Dominus denuntiat apud Ezechielem fore, vt grex suus, id est Ecclesia, recolligatur & instauretur, exauthoratis & reiectis falsis illis Pastoribus. Sic enim ille, faciã eos cessare, inquit, ne vltra pascant oues, neque Pastores pascant vltra seipfos, sed eripiam oues meas ex ore eorũ, neque erunt eis in cibum. Ergo nihil mirum si Pontificiis Episcopis reiectis, alios Dominus excitãrit ad Ecclesiam instaurandam: ita vt iam non possit Turrianus Episcoporum suorum successionem nobis obiicere. Item, prædixit Paulus lupos graues ex ipsis Episcopis exorituros, & in gregem Christi ingressuros qui ipsi gregi non parcerent. Itaque si Dominus iudicabit inter oues & oues, inter oues & Pastores, quantò magis inter oues & lupos? Postremo (ne Turriani interpretationem omnino repudiare videamur) si in loco Ezechielis arietes significant Episcopos tanquam duces ouium, quemadmodum post Clementem authorem suum censet Turrianus: Dominus autem dicit se iudicaturum inter arietes, id est, Episcopos, nec vllum superiorem præter se illis assignat: consequitur nihil loci Archiepiscopis, neque Patriarchis, nec ipsi Romano Pontifici relictum esse.

Secunda.

Tertia.  
Act. 20.



## LOCVS, VII. I. CO. 12.

Multa quidem membra sunt, vnum verò corpus: non potest autem oculus dicere manui, non est mihi opus te: aut rursus caput pedibus, non est mihi vobis opus: imò multò potius quæ videntur membra corporis infirmissima esse, necessaria sunt: & quæ putamus membra corporis maximè esse inhonestà, iis honorem ampliorem circumponimus.

*Sophisma Turriani.*

*Hæc analogia ad Ecclesiam vnã Catholicam pertinet: ergo omninò necesse est vt in corpore visibili mystico Christi, quod est Ecclesia vna Catholica, caput sit item visibile: aut vacabit illa pars parabolæ analogicæ, Non potest dicere caput pedibus, non estis mihi necessarij: & si hæc pars vacat, vacabit quoque illa, Non potest oculus dicere manui, opera tua non indigeo. Nunquid enim oculos, manus, pedes visibiles mysticos habet Christus in Ecclesia, & caput mysticū visibile nō habet? aut habebit vnū corpus mysticum visibile, quod est Ecclesia vna Catholica, & non habebit vnum caput visibile, sed multa, qui sunt multi Episcopi capita Ecclesiarum,*

siarum, quisque suæ? Respondeant Protestantes, quò se ipsi magis ac magis respondendo refellant, & coarguant. |

*Solutio superioris Sophismatis.*

Quoniam Turrianus in hoc Argumento in primis exultat, dum Protestantes ad respondendum prouocat vt seipsi respondendo, inquit, magis coarguant, accuratiùs nobis erit tractādus hic locus Apostoli, qui videtur nescio quos spiritus Turriano addidisse. Primùm igitur genuinum eius sensum inuestigemus.

Vera expositio loci.

Corinthij multis spiritualibus donis exornati, multis quoque vitiis laborabant: & hoc imprimis, quòd illis ipsis donis à Spiritu Dei ad ædificationem Ecclesiæ collatis, ad vanam ostentationem abuterentur. Cùm autem illi qui donis spiritualibus excellere videbantur, alios præ se fastidirent, tanto studio plerique ad spiritualia charismata, atque imprimis ad linguarum donum adipiscendum rapiabantur, quasi sine illis nõ essent inter Christianos recensendi: neglecta interim charitate, iisque posthabitis, quæ maximè ad Ecclesiæ ædificationem pertinebant. Huic vitio vt medeatur Paulus, præstantissimam *ἡ δὲ τοῦ χαρισμάτων* disputationem quatuor continuis capitibus absoluit. Opponit igitur huic morbo, ex quo dissensiones necessariò suboriebantur, arctissimam Ecclesiæ cõiunctionem, quã exprimit elegantè

corporis humani similitudine. Quemadmodum enim licet alia membra aliis nobiliora ac præstantiora videantur, omnia tamen communi vinculo continentur, & tam arctè cohærent, vt alia sine aliis esse non possint, quin corpus ipsum perimatur: ita quavis in Ecclesia quidam sint spiritualibus illis *χαρισμασιν* illustriores, quia tamen cum reliquis membris vnum idèmq; corpus efficiunt, non debent alios negligere, quasi sine illis possint in Ecclesiæ corpore subsistere: quod quidem nõ vno aut altero membro constat, sed suis omnibus membris ac partibus aptè inter se cohærentibus. Rursus qui minus excellunt, non debent tamen animos abiicere quasi ad corpus Ecclesiæ ideo non pertineant, quod donis *πνευμαλικός* non æquè vt alij præditi sint. Hoc modo Paulus vtrisque consultum voluit, dum alios ab arrogantia reuocat, alios vindicat à cõtemptu: & omnes in vno eodèmq; Ecclesiæ corpore coniungit. Hæc est sententia huius loci, quemadmodum facile est colligere ex serie & circumstantiis totius disputationis Apostoli. Sic enim ille: Huic, inquit, datur per Spiritum sermo sapientiæ, alij verò sermo cognitionis per eundem Spiritum, alij verò fides per eundem Spiritum, alij verò dona sanationum, alij facultates virtutum, alij Prophetia, alij discretionēs spirituum, alij verò genera linguarum: sed omnia hæc efficit vnus idèmq; Spiritus, &c. Item: *Ἀμυλάνι χαρισματα* potiora. Item cap. 14. quando-

quidem

Confirmatio ex circumstantia loci.

quidem Spiritus ambitis (id est dona spiri-  
tualia) ad ædificationem Ecclesiæ quærite  
vt excellatis. Idem etiam Apostolus in epist.  
ad Rom. eandem similitudinem vsurpauit  
cum eos ad sanctam concordiam adhorta-  
retur: per gratiã quæ mihi data est, inquit, e-  
dico cuius versati inter vos, ne sapiat supra  
quàm oportet sapere, sed sapiat ad sobrieta-  
tem, prout cuique Deus partitus est mensu-  
ram fidei. Quemadmodum enim in vno cor-  
pore multa membra habemus, membra ve-  
rò omnia eandem non habent actionem: ita  
multi vnum corpus sumus in Christo, singu-  
latim autem alij aliorum membra. Habêtes  
autē diuersa dona pro gratia quæ nobis da-  
ta est, &c. Ex quibus omnibus facilè cernitur  
Apostolum in eum finem quem dixi hanc  
corporis similitudinem Corinthiis propo-  
suisse. Nec verò aliter censet Chrysostomus,  
sic enim hunc locum explicans homil. 29. in  
1. ad Cor. Bonis, inquit, pollebant, alij quidē  
minoribus, alij maioribus, sed maximè lin-  
guarum, quod eis simultatis causa factū est,  
non suapte natura, sed accipientiū stultitia.  
Qui enim maioribus erāt præditi, cōtra eos  
qui minora dona acceperāt mittebantur: hi  
rursus dolebāt, & inuidia in maiores ferebā-  
tur. Cū igitur lethalis hinc plaga oriretur, &  
inter eos charitas solueretur, hoc agit maxi-  
mè, vt eos corrigat. Euenerat enim hoc etiā  
Romæ, se remissius, quã obrè in Ep. ad Rō.  
id tãgit, &c. Itē Hom. seq. idcirco igitur quod  
nō eodē omnes spiritus ornamento polletis,

Ex aliis  
Scripturæ  
locis.  
Rom. 12.

Ex veterū  
Doct. sen-  
tentia.



Argumen-  
tatio Tur-  
riani dis-  
cutitur.

sed munus aliud alius habet, corpus estis, corpus verò cum sitis vnum quoque estis, nihilque in eo quod corpus estis differitis inter vos. Istud igitur fratres nos etiam repetemus, omnem inuidiam proculemus, neque gratia maiori pollentibus inuideamus, neque tenuioribus insultemus. Hæc Chryso-  
stomus: Sic autem Ambrosius in hunc locum, Docet, inquit, nullius personam, quasi despecti contemnendam, nec alicuius quasi perfecta sit præferendam, neque gloriam quæ soli Deo debetur, hominibus tribuendam. Hoc propter supradictam causam, quia Corinthij in aliquibus gloriabatur, aliquos verò velut contemptibiles spernebant. Hæc ille. Quamobrem ex iis quæ diximus perspicuum esse potest quorsum Paulus hanc similitudinem vsurparit. Tam prædeat Sophisma Turriani. Refertur, inquit, hæc similitudo ad Ecclesiam Catholicam: Ergo necessarium est, vnum aliquod extare totius Ecclesiæ caput, cui possit conuenire quod dicit Paulus: non potest dicere caput pedibus, non estis mihi necessarij. Christus quidem est caput, sed super omnia est inuisibile: At oportet visibilis corporis caput esse visibile, vel ipsa natura ita dictante. Quare Pontifex Romanus erit caput mystici corporis Christi, id est, Ecclesiæ Catholicæ. Hæc est summa totius Sophismatis: in quo tres errores potissimum deprehendo, quos sigillatim discutiam.

Tres erro-  
res in ar-  
gum Tur-  
riani.

Primus error hic est, quòd dum argumē-  
tum

tum petis ab ea similitudine qua Paulus usus est, non te contines intra fines ipsius similitudini, nec Apostoli scopum retines, sed procul excurris, & quàm longissimè te Sophisticæ aura prouehit, eò raperis, quasi te nunquam veritas possit assequi atque prehendere. Verumenimverò quod supra monuimus de allegoricis argumentis, hic etiam locum habere debet, nempe si quis velit <sup>de modo inueniendi</sup> argumentari (quod est Theologi proprium, quandoquidem niti debet certis & veris, ac proinde firmissimis fundamentis) si quis etiam velit aduersarios reuincere, (quod te facere sapius iactas, Turriane) eum non ab aliqua allegoriæ vel similitudinis parte debere argumentari, sed ab ipsa redditione similitudinis quæ exprimitur in contextu. Atqui nihil tale facis, sed ipsius Pauli sententia à tergo relicto, omisso scopo, sprete similitudinis redditione quam Paulus apertissimè proposuit, tu nobis, scilicet, infidias in vno similitudinis vocabulo collocasti. Ex quo fit vt non tantum frigeat, verumetiam planè mortua ac sine viribus, tua illa iaceat argumentatio. Quod quia fortasse non sentis, te deducam ad ea quæ proculdubio absurda esse dices, si semel illud argumentandi genus recipiatur. fac enim te ita argumentari: Si quia vnum est caput in humano corpore, vnum quocumque hominem totius Ecclesiæ caput visibile esse oporteat, ergo simili ratione, cum

Primus error. Argumentatur ex vna parte similitudinis, nõ ex ipsi<sup>o</sup> similitudinis redditione.

Absurda quæ hoc argumentandi genus consequuntur.

Paulus mentionem faciat, oculi, auris, manus & pedis, quæ omnia membra tantum bina sunt: consequetur in vniuersa Ecclesia duos tantum homines esse oportere, qui cum oculis comparentur, duos item, qui cum auribus, & sic deinceps donec Catholicam Ecclesiam ex nouem hominibus componas, nempe ex vno capite & octo membris. Adde & hoc aliud si velis: Quæ membra sunt inhonestiora, inquit Paulus, iis honorem ampliolem circumponimus. Atqui hodie, quia omnia noua placent, eò fit, vt vulgus Pontificiorum ampliores honores Iesuitis deferat quam aliis Monachis, licet inuitis & inuidentibus. Ergo Iesuitæ sunt reliquis Monachis inhonestiores. Quid tibi videtur de istis argumentis, Turriane? eane inter ἀποδεκτὰ recensabis? video te negare: quare nobis etiam, si placet, idem licebit facere in præclara illa tua argumentatione. Cum enim argumenteris extra propositum Pauli, ex vna tantum similitudinis parte quam perperam in alienum sensum detorques: argumentis, inquam, ex similitudine, non ex ea similitudinis redditione quam proponit Paulus: restat vt illud tuum argumentum frequentissimo sapientum theatro explodatur: est enim μεταφορικόν, & propterea nihil concludit. Longè certè tolerabilior fuit Gratianus, qui ex Gregorio hanc similitudinem Pauli in eos accommodauit, qui non vno contenti, pluribus sese onerant sacerdo

Cerdotiis : in can. singula, distin. 89. Quod decretum quanti à vobis fiat, res ipsa loquitur.

Secundus error tui Sophismatis est in δ- *Secundus error.*  
*μωυμια* vocabuli Capitis. Sic enim instas, *Homonymia vocabuli capitis.*  
 nomen capitis ad Romanum Pontificem referendum, alioqui vacabit, inquis, illa pars parabolæ analogicæ. Non potest dicere caput pedibus, non estis mihi necessarii. Quasi verò nulla possit esse *ἀναλογία* capitis extra Pontificem Romanum. Quanquam autem non omnes similitudinum partes curiosius discutiendæ sunt, præsertim in Sacris literis, tamen si quæras à nobis, ad quosnam Paulus in hoc loco similitudinem capitis referat. Ego vicissim quæram abs te, quosnam intelligat pedum nomine. Nonne infimos quosque, & minimè inter alios excellentes? *Quos intelligat paulus nomine capitis.*  
 Atqui opponuntur hîc pedes capiti, ad eò vt, *Ex circumstantia loci.*  
 ratione *ἀντιθέσεως* ita postulante, necesse sit capitis similitudinem ad eos referre qui omnium præstantissimi videbantur: quasi dicat Apostolus, eos qui donis spiritualibus abundabant, non debere alios abiicere tanquam inutiles. Sed malo id Chrysofomi *Ex veteri sententia. Chrysof. vbi supra.*  
 verbis, quàm meis exponere, Non potest oculus manui dicere, nihil est mihi te opus: aut rursus caput pedibus, nihil est mihi vobis opus. Postquam, inquit, invidiam tenuiorum repressit, tristitiàmque exemit in qua esse propter maiora aliorum dona videbantur, nunc eorum etiam factum deiicit.

Obiectio  
Turriani.  
Responſio.

qui dona ſcilicet maiora ceperant. Hæc ille. Nec alienum eſt quod ait Ambroſius in hunc locum: Caput, inquit, non eget, neque facies, neque manus vt iis addatur per quod decorentur: ita & fratribus in quibus ſtudiũ peritiæ & conuerſationis vrget honeſtas, nihil eſt quod à nobis addatur. Atenim, inquis, hæc Pauli doctrina ad vniuerſam Eccleſiam pertinet: fateor quidem, ſed affirmo ita eſſe generalem vt etiam poſſit ad Corinthiorum Eccleſiam accommodari, alioqui fruſtra Corinthiis præponeretur. Agè nunc, & accommoda ad Pauli propoſitum tuam illam parabolam analogicam de Petro totius Eccleſiæ, vt inquis, viſibili capite. Quid? Petrus ne inter Corinthios verſabatur, ita vt periculum eſſet, ne caput diceret pedibus, Non eſtis mihi neceſſarij? fuit ne Petrus admonendus ne inferiora Eccleſiæ mēbra deſpiceret? Quis igitur non facilè videat in ipſa Corinthiorum Eccleſia inueniendos eſſe aliquos qui cum humani corporis capite cōferantur? Quòd ſi nolis aſſentiri, teipſum tuis verbis vrgebo, vt te magis ac magis (vtendũ eſt enim tuis verbis) refellas atque coarguas: nam ſi hæc pars vacat, Non poteſt dicere caput pedibus non eſt mihi vobis opus: vacabit quoque illa, Non poteſt dicere oculus manui opera tua nõ indigeo. Addam etiam, alias quoque huius ſimilitudinis partes eſſe vacaturas. Nam ſi quod dicitur de capite, non poteſt Eccleſiæ Corinthiorum conuenire, cur ea potius quæ de oculis, auribus, & aliis

aliis membris dicuntur? Itaque Turriane, vt, non nos, sed teipsum potius, respondendo magis & magis refellamus, iam euoluenda est *ῥητορικὴ* dictionis capitis, in qua latet tui sophismatis fallacia. Quia caput propriè & *ῥητορικῶς* usurpatum non tantum tenet totius corporis gubernaculum, sed etiam corpus ipsum alit & fouet, atque ab eo vita ad alia membra dimanat, ideo factum est vt Christus dicatur caput Ecclesiæ vniuersæ: ex quo (inquit Paulus Ephes. 4.) totum corpus congruenter coagmentatū & cōpactum per omnes suppeditatas commissuras ex vi intus agēte pro mensura vniuscuiusque mēbri incrementū capit corpori conueniēs ad sui ipsius extructionē per charitatē. Item Ephes. 5. Christus est caput Ecclesiæ, & ipse est seruator corporis. Ex quibus Apostoli verbis manifestum est nomen capitis in Theologia soli Christo conuenire respectu totius Ecclesiæ, quia perfectissimè respōdet capiti naturali, vti diximus. Aliquando etiam nomē capitis non ita propriè usurpatū, ad eos transfertur qui vidētur esse primi, quiq; inter alios eminet: cuiusmodi erāt illi qui toties apud Israelitas vocabantur familiarum capita. Quę significatio familiaris est dictioni Hebraicæ *ראש*: vnde Esaias cap. 1. proposita corporis humani similitudine, vt miserum Iudæorū statum describeret, ait, totum caput esse languidum. Quo nomine non vnum aut alterum sed omnes populi præfectos intelligit, vt etiam capite 9. Excindet Dominus, inquit, de

De vocabulo capitis.

Christus caput Ecclesiæ vniuersæ.

Israele caput & caudam. Senior & authoritate suspiciendus is est caput. Hæc Esaias. Ex quibus intelligitur similitudinem capitatis sæpe in Sacris literis ad eos referri qui inter alios excellunt: quo sensu locum Pauli Chrysostomus exposuit, vt antè dictum est. Scio tamen quosdam ex veteribus nomen capitatis in hoc Apostoli loco ad Ecclesiæ Pastores accommodare, quod & Ambrosius fecit, sed quàm parùm inde causa Turriani subleuetur, ex ipso Ambrosio cognoscamus. Nō potest dicere caput pedibus, non estis mihi necessarij, id est, inquit, maior gradu & dignitate non potest sine illo qui humilis est, quia est, quod humilis potest, quod sublimis non potest, quia ferrū potest quod nō potest aurum. Et paulò pōst. Posuit, inquit, Deus quosdā in Ecclesia, primū Apostolos, &c. Caput in Ecclesia Apostolos posuit qui legati Christi sunt, sicut dicit idem Apostolus: Pro quo legatione fungimur: ipsi sunt Episcopi, &c. Ecce vides Turriane, si malis nomen capitatis intelligere de gradu Ecclesiastici ministerij, non tibi esse in vno quopiā homine subsistendum, sed ipsum Ecclesiæ ministerium comprehendendū esse, quemadmodum fecit Ambrosius, qui non vnū Petrū dixit esse caput (vt ille Papa qui Cephā caput interpretatus est, cuius tamē causam ineptissimè tueri voluisti) sed omnes simul Apostolos. Rursus non vnū Petri successore Romanum Episcopū caput esse dicit, sed omnes simul Episcopos, id est, ipsum ministerium Ecclesiasticum

Quidā ex veteribus nomen capitatis ad Ministerium Ecclesiasticum retulerunt. In cap. 12. 1. Cor.

Can. Sacrosanctæ. D. 23. p. 118.

clefasticum. Quod etiam confirmatur præ-  
 clara hac Cypriani sententia quam iam antè  
 aliquoties commemorauimus: Episcopatus,  
 inquit, vnus est, cuius à singulis in solidum  
 pars tenetur. Tu verò nullā vnitatē potes ap-  
 prehēdere, nisi in vno homine, eoque Pōtifi-  
 ce Romano, cū potius cōsideranda fuerit  
 in ipso Ecclesiæ ministerio. Et certè si hæc  
 verba refers ad superiorē similitudinē, aut  
 māca erit similitudinis redditio (quod absit  
 à Paulo accuratissimè scribēte) aut nomē ca-  
 pitis respōdebit nō vni sed multis, cū Pau-  
 lus numerū multitudinis vsurpārit, Primūm  
 inquit, posuit Apostolos, deinde Prophetas,  
 &c. Quid autē si te tua interpretatio cogat  
 idē quoque nobiscū, vel potius cum doctissi-  
 mis veteribus cōcludere? Ais enim nomē ca-  
 pitis in hac similitudinē esse referendū ad ca-  
 put aliquod visibile Ecclesiæ, ne pars hæc si-  
 militudinis vacet, vt inquis. Si ita est, Turria-  
 ne, vbinam igitur collocabis oculos & aures  
 nisi in capite? Atqui licet ad nris mēbris re-  
 liquū corpus gubernetur, ipsa tamē inter se  
 diuincta sunt, & ea Paulus in hac similitudi-  
 ne manifestè distinxit. Quocirca ex tua ar-  
 gumētatione sequitur, caput visibile Eccle-  
 siæ non esse constituendum in vno homine  
 sed in multis. Vtramuis igitur expositio-  
 nē eligas, semper causa cades. Nam si mem-  
 brorum differentiam, cum Chrysostomo, de  
 variis Spiritus sancti donis intelligas, no-  
 men capituli significabit eos qui inter alios  
 donis *πνευματικῶν* excellēbant. Sin malis

Turrianus  
 refellitur  
 ab ipsa sua  
 interpreta-  
 tione.



Refellitur  
decretis  
Pōtificiis.

Can. nō di-  
cet distin.  
12.

gradus Ecclesiasticos fuisse membrorum si-  
militudine adumbratos : sequetur nomen  
capitis ad plures simul pertinere , quando-  
quidem oculi & aures à capite separari non  
possunt. Quinetiam, vt Pontificiis decretis,  
id est, tuis telis te ipsum confodiam, quid re-  
spondebis Calixto Papæ, qui apud Gratia-  
num affirmat Romanam Ecclesiam esse ca-  
put Ecclesiæ vniuersæ? Si enim tota Ecclesia  
Romana est caput, cur tu mihi toties vnum  
hominem, vnum Pontificem, vnum Petri suc-  
cessorem inculcas? Porrò si caput Ecclesiæ  
visibile nullum potest esse nisi ratione succes-  
sionis Petri ( quemadmodum disputas ) ac  
nemo sanus dixerit Romanam Ecclesiam A-  
postolo Petro successisse ( tunc enim non es-  
set successio personalis ) quomodo dici po-  
test Romana Ecclesia caput Ecclesiæ vniuer-  
sæ? Respondeat Turrianus suo Papæ, quo se  
ipse & suos, magis ac magis, respondedo re-  
fellat & coarguat.

Tertius er-  
ror.

Conclusio  
Turriani  
dissentit à  
Scriptura,  
& nomina-  
tim ab hoc  
ipso loco  
quem ci-  
tauit.

Sequitur tertius error tuæ argumētatio-  
nis. Quod ea conclusio quam inferis, nempe  
Pontificem Romanum esse caput vniuersæ  
Ecclesiæ, est planè *ἐτερόδοξος*. Quoties enim  
Scriptura disserit de capite Ecclesiæ, nun-  
quam aliud nominat, quàm vnum Christum:  
sic Eph. 1. Eum cōstituit caput super omnia  
ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius, &c. Idem  
ad Coloss. 1. Ephes. 5, &c. Quare summopere  
vitanda sunt illa loquendi genera, quæ ma-  
nifestè contradicunt expressis Scripturæ sen-  
tentiis, hoc enim est *ἐτεροδιδασκαλείν*, vt ait

Paulus

Paulus. Atque ut id magis perspicias, profero quod ait Paulus Ephes. 4. ubi enumerans gradus Ecclesiasticos (ut in hoc loco quem tractamus) Dedit, inquit, alios quidem Apostolos, alios Prophetas, &c. ad coagmentationem sanctorum, ad opus Ministerij, ad ædificationem corporis Christi, donec adulescamus in eum per omnia qui est caput, nempe Christus. Item ad Rom. 12. Ut in vno corpore multa membra habemus, membra verò omnia eandem non habent actionem. Ita multi vnum corpus sumus in Christo. Item in hoc loco de quo iam diu disputamus, Sicut, inquit, corpus vnum est, & membra habet multa, omnia verò membra corporis vnius multa cum sint, vnum sunt corpus: ita & Christus. Audis Turriane? Ita & Christus, inquit, id est, ita & Ecclesia, cuius caput Christus est: sic enim totum corpus ab ipso capite denominavit. Cum ergo in hac similitudine quam nobis obicit, Paulus noluerit aliud Ecclesie caput præter vnum Christum assignare, qui fit ut tu qui non potes animum inducere similitudinem capitis hic aliter stare posse nisi de vno intelligatur qui sit caput totius Ecclesie, non ipsum igitur Christum intelligas? Paulus enim dicit Corinthios esse membra corporis Christi: non dixit, Petri, aut eius successoris, sed de vno Christo mentionem fecit. Tunc Paulo peritior aut acutior? num ignoravit Paulus essetne Christus visibilis an invisibilis? Annò potuit animaduvertere *ἐν τῷ* illud quod ais

Pag. 301.

necessariò sequi, nisi Petrus tanquam visibile caput interponatur inter Christum & Ecclesiam? Si Pauli potius quam tuo iudicio stetisses, Turriane, proculdubio idem caput Ecclesiæ catholicæ cum Paulo nominasses, nempe Christum. Itaque quod nobis falsò obiicis, in te verè quadrat, cum ais nos constituere corpus Ecclesiæ πολυκέφαλον: nos enim vnico Ecclesiæ capite nēpe Christo contenti sumus. Vos autem duo capita Ecclesiæ constituitis, vnum visibile, alterū inuisibile, adeò vt quoties inter vos Antipapæ surrexerint, toties vestra Ecclesia, ad minimum, triiceps fuerit. Sed vt ad Paulum redeā, si nomē capitis vsurpatū in ipsius similitudine necessariò restringis ad caput Ecclesiæ catholicæ, summæ profectò fuit impudentiæ, aliud caput proponere quàm Christum à Paulo in hoc ipso loco nominatum. Cum enim Ecclesiam vocauit corpus Christi, necesse est Christum esse caput huius corporis, id est, Ecclesiæ. Sed video icrupulum qui te malè habet. Vereris enim vt hæc Pauli verba, Caput non potest dicere pedibus, non est mihi vobis opus, rectè possint Christo cōuenire. Sed te illo metu liberat Paulus, cum alibi dicit Ecclesiam esse corpus Christi, & cōplementū eius, qui omnia implet in omnibus. Quòd si malis sequi veterē interpretē qui τὸ ἀληροῦσαι passiuè exposuit, Adimpletur, luculētior etiamnum erit nostræ sententiæ cōfirmatio. Quāuis ergo Christus, quatenus est æternus ille λόγος & ipsa perfectio, nō habeat opus vllis hominibus.

De his verbis: Caput non potest dicere pedibus, Nō est mihi vobis opus. Ephel. I.

nibus (sic. n. implet omnia, & impleri nō potest) tamē quatenus Christus est caput Ecclesie, habet op<sup>o</sup> corpore & mēbris, vt sit caput. Hęc enim a deo inter se relata sunt, vt nō possit esse caput sine corpore, cuius sit caput. Tu verò, mi disputator, qui in Dialecticis videri cupis *ἀνὰ εἰς ἕναι καὶ ὑπερόχον ἔμμελαι ἄλλων*, incidisti in *ἀπάτω* longē maximā, dum summa genera *κατηγοριῶν* cōfundis, nepe Substantiam cum Relatione. Sed de his hæcenus. Cæterum quid tibi venit in mentē cum ita cōcludis: Si pedes visibiles mysticos habet Christus in Ecclesia, habebit igitur & caput mysticum visibile: quo certē nihil vnquā ineptius dici potuit, nihilque acuto disputatore indignius. Nam iste Syllogismus est plane *ἀπαίδευτος*, cum caput sit *ἐν τῷ πρὸς τι*: nec referri possit ad caput, sed ad corpus: non enim rectē dicitur caput capitis, sed caput corporis. Hoc te verò in primismouet, quòd visibilis corporis, visibile quoque caput esse debeat, atque hæc tragice exclamas, eos omnes mōstra in Ecclesiam inuehere, qui monstrosi tuis erroribus non subscribūt. Atqui si te ipse intelligeres, facilē deprehenderes fallaciam tui Sophismatis. Quid enim tibi vis, cum dicis, pedes mysticos, & caput mysticum? Nōne ita declaras te loqui de Ecclesie corpore quòd non humanis sensibus percipi, non humana ratione comprehendī, sed solis fidei oculis intelligi potest? iam autem suprā demonstraui, catholicæ Ecclesie corpus sub Christo capite esse invisibile, cum pertineat ad solos electos,

Elench.  
Turriani.

An visibilis corporis visibile caput esse debeat.

Turrianus seipsum refellit.

non autem ad hypocritas, quorum Christus non est caput: neque repetam quæ illic à nobis dicta sunt. Hoc vnum dicam, scilicet constare ex hoc loco quòsnam Paulus intelligat cum disputat de mystico Christi corpore, omnes, inquit, per vnum Spiritum, in vnum corpus baptizati sumus, & omnes vna portione potati sumus in vnum Spiritum. Est igitur deueniendum ad Spiritum sanctum vt in eo catholicæ Ecclesiæ compactum & cohærens corpus reperiamus. Homines quidem ipsi sunt aspectabiles, sed hoc nobis non est peruium vtrum hic vel ille ad corpus Christi verè pertineat, nam, vt inquit Augustinus, multi videtur esse in corpore qui sunt extra corpus. Quocirca in Symbolo postquam professi sumus nos Ecclesiam catholicam credere, statim subiicimus sanctorum communionem, peccatorum remissionem, & vitam aeternam: quæ quatuor nexu indissolubili inter se cohærent, licet ea Turrianus diuellere atque distrahere conetur. Itaque tametsi Christus nunc est inuisibilis, nostris scilicet oculis corporeis, est tamen visibilis oculis fidei (quæ sola etiã potest Ecclesiam catholicam intueri) donec aliquando perfectè beatissimo eius conspectu perfruemur. Sed est aliud quod valde miremur in Turrianum. Non enim contentus Christo capite inuisibili, aliud proponit quod sit visibile, nempe Petrum. Atqui non minus est hodie Petrus inuisibilis quam Christus. Respondet Turrianus, Petrum esse visibilem in suis successoribus. Obsecro, cur igitur non tantundem

Petrus non minus inuisibilis quam Christus.

tantundem saltem Christo tribuit quantum  
 Petro? Cur non dicit Christum reddi quo-  
 dammodo visibilem in suis legatis, ac mini-  
 stris Ecclesiasticis? Sic enim ille: Qui vos au-  
 dit, me audit. Et Paulus, Nomine Christi le-  
 gatione fungimur, inquit, velut Deo per nos  
 exhorante. Vnde Ambrosius, Episcopus, in-  
 quit, habet personam Christi, & vicarius Do-  
 mini est. Cum ergo tantopere delecteris re-  
 bus visibilibus, Turriane, oculos in eos con-  
 iice per quos se Christus quodammodo præ-  
 bet hominibus aspectabilem, id est, veros ac  
 fideles Ecclesiæ doctores, quoties rectè offi-  
 cio funguntur. Atque vtinam nihil moratus  
 fragmentum illud Constantinopolitanum  
 (quod Græcè recitasti) Augustinum potius  
 consulisses ita locum hunc Pauli tractan-  
 tem, vt nos semper ad Christum caput vni-  
 cum Ecclesiæ deducat. Sic enim in epist. ad  
 Dardanum, citans hunc locum Epistolæ ad  
 Corinthios, Illæ diuisiones donationum, in-  
 quit, dictæ sunt sicut membra in corpore,  
 quia non idem valent aures quod oculi,  
 atque ita mēbra cætera diuersis officiis con-  
 corditer distributa: quæ tamen cum sani su-  
 mus, vna, neque diuersa, nec alibi maiore ali-  
 bi minore, sed cum sint ipsa disparia, com-  
 muni & parili salute congaudent. Huius cor-  
 poris caput est Christus, &c. Idem de Christi  
 præsentia cum sua Ecclesia disserens, Quan-  
 uis, inquit, Christus sedeat in cælo, tamen  
 compatiens membris laborantibus (quia ca-  
 put est membrorum & vniuersi corporis)

Turrianus  
 non tan-  
 tundem  
 tribuit  
 Christo  
 quantum  
 Petro, ne-  
 pe vt sit vi-  
 sibilis in  
 suis lega-  
 tis.

2. Cor. 5.  
 In 1. ad  
 Cor. 11.

pag. 55. <sup>91</sup>  
 Iohanni  
 Constāti-  
 nop. quem  
 citauit  
 Turrian.  
 opponitur  
 Augusti-  
 nus.

Quinquag.  
 homil.  
 hom. 15.

quando, inquit, vni ex minimis meis non fecistis nec mihi fecistis. Iam certè erat in cœlo quando Paulum ex persecutore fecit prædicatorem: nam misertus eius, & incorporans eum vniuerso corpori suo dixit de cœlo: Saule Saule, quid me persequeris? Certè iam in cœlo sum, tamen in ipsis membris meis adhuc ego persecutionem patior, &c. Et paulò post: Caput in cœlo est, nos hîc laboremus & inuicem onera nostra portemus quò enim iuit caput, cætera membra itura sunt. Hæc Augustinus: ex quibus facile perspici potest, Christum licet nobis inuisibilem, semper tamen præsentem Ecclesiæ tanquam myticum caput mystico corpori adesse, & sanctissimam hanc arctissimamque coniunctionem nullis posse locorum spatii impediri.

Conclusio.

*Avliq̄aris,*

Superest vt hunc Pauli locum in Turrianum hoc modo retorqueamus. Ea est capituli natura, vt vitam corpori infundat, illud foueat, & renouet in membris patientibus, simul etiam patiatur. Atqui Romanus Pontifex puram Euangelij doctrinam, ex qua vitam haurit Ecclesia, quantum in ipso est, è medio tollit, ea quæ aliorum membrorum sunt propria ad se vnum trahit, Ecclesiæ membra diuellit ac lacerat: denique veris Ecclesiæ Christianæ membris omni pœnarum genere excrucians delectatur. Quare (nequid grauius dicam) Pontifex Romanus non est caput Ecclesiæ.

Locus

Lex umbram obtinēs futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, iis hostiis quas singulis annis easdem assidue offerunt, nunquam potest accedentes sanctificare, &c.

*Sophisma Turriani.*

Umbram, inquit, habebat Lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum. In nouo igitur Testamento non sunt umbræ, sed imagines earum rerum quæ aperta & sine ullo ænigmatate in cælo sunt. Itaque in imaginibus ac mysteriis ipsorum rerum quæ in cælo reuelata facile cernuntur, voluit Deus implere in Ecclesia noua veteres umbras & typos. Vnde necesse est vt ita Christus figuram atque umbram throni David nunc impleat, vt non de cælo tantum, sed in ipsa Ecclesia quæ in terris est regnet. Quare cum regnet in terra, ac non per se, consequens necessariò est vt aliquem suo loco constituerit, in quem regnum illud transtulerit, qui personam suam gerat, ac suam ferat imaginem. Is est summus Pontifex Petri successor, & Rex spiritualis Ecclesie, & imago Regis Christi qui in cælo ascendit. In quo regni spiritualis præside (quod est Ecclesia) impletur quod dixit Angelus Luce. 1. Dabit illi Deus sedem David patris eius



Et regnabit in domo Iacob in eternum, Et regni eius non erit finis.

Solutio superioris Sophismatis.

Nouo quodam argumentandi genere, ex vna negatione multas affirmaciones, nec eas quidem satis sibi constantes collegit Turrianus, qui ex hoc loco pessimè intellecto, non potuit nisi pessimè argumentari. Quæramus igitur verû sensum huius loci quem Turrianus deprauauit.

Vera expositio loci.

Apostolus persequens institutam comparisonem Legis & Euangelij, & alludens ad illud exemplar quod octauo cap. dixerat ostensum fuisse Mofi in monte, opponit τῆς σκιᾶς Legis, τῶν εἰκόνων Euangelij. Per vmbra Legis intelligit legales ceremonias, & ea veteris Testamenti rudimenta, quæ venturum Christum adumbrabant. At nomine τῆς εἰκό- vos significat expressam formam Christi, id est, Christum ipsum, & eius beneficia, quæ nobis per Euangelium conferuntur. Hanc

Expositio- nis confir- matio.

Ex circun- stantia loci.

Ex alijs Scripturæ locis.

esse sententiam Apostoli docet ipsius loci circumstantia & ἐπιθεσις. Sic etiam idem Apostolus cap. 3. Legem vocauit σκιά: & eodẽ loquendi genere Paulus vtitur cap. 2. ad Coloss. Quæ sunt vmbra futurorum, at corpus, est Christi: qui locus hunc de quo agimus exponit. Quare cum in his duobus locis eadem doctrina tractetur, & scripta Apostolica secum non pugnent, sequitur illa verba ad Coloss. his verbis de quibus disputamus respon-

respondere : adeò vt ἐκὼν τῆς παραγμάτων, idē significet quod τὸ ὃ σῶμα, τὸ χεῖρ. Ex quibus efficitur Christum esse, vel corpus, vel expressam imaginē eorum quæ Lex olim adumbrabat. Nec obstat vocabulū εἰκόνας, quod De vocabulo εἰκόνας. quidem vt vsurpari solet à Scriptura, sæpe idem significat quod res ipsa. Christus enim voc. dicitur esse ἐκὼν τῆς Θεοῦ. Et nihilominus ipse 2. Cor. 4. est benedictus Deus in secula, vt ait Paulus. Coloff. 1. Item Christus dicitur accepisse formam serui, neque tamē id obstat, quominus eum verè hominem esse credamus. Ab hoc loquendi genere non recessit Lombardus cū ait, imaginem aliquando dici secundum essentiam : nec alienum est quod vulgò dicimus aliquid repræsentari, non tantūm cū eius similitudo proponitur, sed etiam cū res ipsa præsens sistitur. Itaque planus est locus & adeò apertus vt in eò fallacia Turriani latere non possit. Quid autem bonus iste Theologus : Lex, inquit, non habuit expressam rerum imaginem. Ergo necesse est regni Christi imaginē extare in regno Pontificio. Mirum certè ratiocinādi genus, quod tamen ne pluribus exagitem, hoc certè primum absurdum est, cū Apostolus de ceremoniis legalibus disserat, ac præsertim de victimis quotannis offerēdis, sermonem ad regnum Christi transferre : deinde hoc est absurdius, nouum Testamentū in terris concludere. Postremò hoc omnium absurdissimum est, loco verborum Apostoli, alia planè substituere, ita vt iam non ex Apostoli, sed

Argumentatio Turriani discutitur.

Turrianus  
ex suis, nō  
ex Apostoli  
verbis ar-  
gumenta-  
tur.

1 Cor. 13.

Elench.  
Turria.

ex suis verbis Turrianus argumentetur. Hęc enim non dicit Apostolus: In nouo Testamento esse imagines earum rerum quę in cœlo reuelata facie cernuntur: nec etiã vera est illa propositio. Nam in nouo Testamento sunt & exhibentur res ipsę, quas hęc quidem videmus (inquit Paulus) per speculum & per ænigma, at in cœlo, coram cernemus. Est igitur differentia, non in rebus ipsis quę videntur, sed in modo vidēdi. Quamobrem cum Turrianus hęc tria constituat, vmbra[m] Legis, imaginem noui Testamēti & res ipsas, profert suam, nō autem citat Apostoli sententiam, qui duobus mēbris contentus fuit. Siquidem expressa rerum imago, nihil aliud est Apostolo, quàm res ipsa. Nec enim legales ceremoniæ fuerūt vmbriæ imaginum, sed vmbra rerum, quia earum corpus fuit Christus, vt ait Paulus: Christus autem est res ipsa, non imago rei. Hęc etiã spectat quod dicitur nono cap. ad Hebręos, veteres ceremonias fuisse ~~exemplaria~~ *exemplaria* eorū quę sunt in cœlis. Quis igitur ferat hanc Turriani conclusionem, Nouum testamentum, id est doctrina Euāgelij, nobis ad viuum exhibet ea quorum *ουιαγραφίαν* tantum Lex proponebat, inquit Apostolus: oportet igitur (inquit Turrianus) imaginē regni Christi in regno Pontificio extare. Annon ipse sentis, Turriane, tuum errorem *ὅτι τὸ ἐπίμυρον?* Hunc etiã alium errorem animaduertito, nempe cum assumis id quod est in quæstione positum. Pernegamus enim regnū illud Pontificiū nisi nouo

nouo Testamēto, id est, doctrina Euāgelica & Apostolicis præceptis: & in hoc cardine status totius disputationis vertitur: tu verò proponis illud tanquam *ὁμολογέμενον*. Ex quibus cuius perspicuum esse potest nihil tibi, neque regno Pontificio cum hoc Apostoli loco esse commune. Hoc enim sibi vult Apostolus: quoties oculos in Euangelium coniecimus, toties nos vitā expressamque rerū earū formā, siue res ipsas intueri, quæ in Lege fuerāt lineis tantum crassioribus adūbratæ. Itaque Apostolus argumentū ducit à veteri Lege ad Christum, tu verò ab umbra legis ad regnum Pontificium: & sic non iā umbrā sed crassissimas tenebras offundis Euāgelicæ luci. Nam dum Apostolus nobis explicat quænam sit hæc *εἰκὼν τοῦ πραγμάτου*, vnum Christū proponit, in quo clarissimè relucēt ea quæ Patribus fuerant sub velo proposita. Vt enim alibi dicitur, habemus lumē cognitionis in facie Iesu Christi. Si quærās igitur quænam fuerit umbra Legis: profert Apostolus *ἡσυχίας* singulis annis oblatas. Rursus si roges vbi sit expressa illa forma rerū, ita subiicit: Christus, inquit, pro peccatis vna oblata victima in perpetuū sedet ad dextram Dei, & vnica oblatione consecrauit in perpetuum eos qui sanctificantur. Hæc Apostolus: tu verò sermonem transfers ad imaginem regni Christi quam in regno Pontificio constituis. Atqui, Turriane, tantum abest vt vllam Christi imaginem in Pontifice Romano agnoscamus, vt eum potius cum Paulo dicamus esse ipsi Christo

Turrian.  
alienissimus ab Apostolo.

2. Cor. 14

Pontifex  
Rom.  
Christo  
*ἀντικείμενον,*  
nedū eius  
*εἰκὼν.*

ἀντιεπισημιον. 2. Theff. 2. adeò vt neque *ουσια* sit neque *εικον* regni Christi, sed res planè regno Christi contraria. Quare vel tibi renuntian- dum est huic loco quem protulisti, vel si il- lum sequeris, nulla alia statuenda est viua re- rum forma præter vnum Christum, nobis in Euangelio exhibitum: hîc enim Apostolus con- quiescit. Hæc nobis dicta sint de huius loci interpretatione. Verùm (sat scio) ista nõ satisfaciunt Turriano, vtpote Iesuitæ: quod sectariorum genus audio valde imaginibus delectari, adeo vt imaginem Christi (quem- admodum illi fingunt) secum circumferant, eamque suis libris soleant præfigere, quod etiam in suo libro curiosè obseruauit Turri- anus. Quinetiam contra expressissimum Dei interdictum, Exod. 20. &c. ausus est in hoc ipso libro affirmare adorandas esse imagi- nes, & honorem ac venerationem prototypi ab honore & veneratione imaginis separari non posse: modo addatur *γενεως*: quasi verò plebs coram imaginibus & statuis prouolu- ta, hæc distinctionem vel curet, vel etiam in- telligere possit verane sit an falsa: sed de hac re aliàs. Ergo vt Turriano imaginum amato- ri, propugnatori, pictori aliqua in re gratifi- cemur: demus aliquas esse in nouo Testa- mento imagines. Ecquãsnam? inquires, nempe ipsam Euangelij doctrinam, & prædica- tionem, atque ea omnia quæ ex verbo Dei ad prædicationem Euangelicam pertinent. Sic enim Paulus ad Galatas 3. cap. Quis vos, inquit, fascinauit ne obsequeremini verita- ti, qui-

Iesuitæ i-  
maginibus  
delectatur:  
adeò vt i-  
rum nõ sit,  
Turrianũ  
Iesuitam i-  
ta fuisse ar-  
gumētatũ.

Quanam  
sint imagi-  
nes in no-  
uo Testa-  
mento.

ti, quibus ob oculos Iesus Christus prius fuerat depictus inter vos crucifixus, &c. Ex quo efficitur, Euāgelij prædicationem esse instar præstantissimæ cuiusdam picturæ, quæ Christum & ipsius beneficia nobis ita ad viuum exprimit, vt ipsis propemodum oculis subiacere videatur. Atque vt de regno Christi agamus, si roges quænam fuerit eius vmbra, te ad regni Davidis memoriam reuocabo: sed si postulas tibi dari εἰκόνα τοῦ ἀράγματος in Euāgelio, & in nouo Testamento: tibi proferam Christū ipsum affirmantem sibi omnem potestatem datam esse in cælo & in terra. Matth. 28.

Item quod ait Apostolus, Oportere Christum regnare vsq; quo omnes inimicos subiecerit pedibus eius, & pleraque similia quæ passim occurrunt, & nobis expressam regni Christi formā & εἰκόνα, non corporis, sed fidei oculis conspiciendam clarissimè proponunt. Tu verò vel ex eo poteras ἀκυρον huius tuæ argumentationis cognoscere, quòd si regni Christi imaginē statuis in regno visibili, iam ad vmbra veteris Testamenti regrederis, & exortæ luci Euangelicæ renuntias. Quinetiam cum crassi Iudæi vmbra adhærescentes, terrenum Mesiæ regnum etiam ab ipsis Christi temporibus confingant, & ab illo errore Christus disertis verbis sæpè suos reuocauerit: num erit consensaneum, ipsius regnum, visibili aliquo regno in terris constituto vel le exprimeret? Hic sit igitur prior tuus paralogismus in voce εἰκόνας, quam tu quidem in regno Pontificio id est, lucē in tenebris, quæ

Duplex paralogismus  
Turriani.  
Prior, in vocabulo  
εἰκόνας

ris: ego verò εἰκόνα in ipso Christo, & in Euangelij prædicatione esse ex ipso Euangelio affirmo.

Posterior,  
in vocabu-  
lo Regni.  
Quot mo-  
dis regnū  
Dei dica-  
tur.

Alter paralogismus est in dictione Regni.

Quandoquidē regnū Dei dicitur ὁμωνύμως. Aut enim significat summā & αὐτοκρατορικὴν potestatem Dei in omnes res creatas, atque adeo in ipsos homines: vt Pf. 93. & 96. 1. Tim. 6. &c. aut beatissimam illam requiem æternamque vitam nobis in cælo repositam. vt 2. Tim. 4. aut ipsam Euangelij prædicationē, per quam nobis ad æternū illud regnū patet accessus, vt Matth. 13. Rursus regnū Christi duobus modis consideratur: vel quatenus Christus regnat in suis electis, sui Spiritus efficacia & virtute: vel quatenus imperiū in ipsos etiam improbos exercet, pro summa sua iustitia & potestate. Hi duo modi necessariò distinguendū sunt, neque confundi debent, alioquin errores maximi consequentur. Nunc nobis explicā quid intelligas nomine regni Christi cum ais oportere aliquam eius imaginem existere in terris idque in Romano regno: sic enim vocas Pontificatum Romanum. Citashæc verba apud Lucam, Regnabit in domo Iacob in æternum. Ergo video te loqui de eo regno quod Christus exercet in electos, quoru Ecclesiam per domū Iacob significari, satis est manifestum. Nam Ecclesia quæ in æternum futura est, ex solis electis constat: hypocritæ verò licet ad tēpus in Ecclesia esse videantur, tandē tamē de Ecclesia deiiciēdi sunt. Iam cum regnum illud

Lucæ 1.

Romanum

Romanū in Ecclesia visibili cōstituas, in qua reprobi mixti sunt cum electis, quos quidē Pag. 179. ipse fateris esse inuisibiles: efficitur regnum Pontificiū nō esse imaginē eius regni de quo loquitur Angelus apud Lucam. Atque, vt te ipse refellas, rehero tibi tuū illud argumentum de imaginibus, in quo dicis imaginem eandem esse cum prototypo *ἁγιωτός*: at ex iis quæ modò dixi, cōstat regnū Pontificiū non esse idē cū regno Christi, ac ne *ἁγιωτός* quidē: Quare illud, huius imago esse non potest.

Quod autē ad disoportere vt Christus aliquē suo loco constituerit per quem regnet, cum per se non regnet in terris: hoc verò est planè *ἀθεόλογον*. Quomodo enim in suis regnat Christus? annō virtute sui spiritus operantis per Euāgelij prædicationē? Inde enim hac præstantissima huius regni effecta, apud Paulū, Iustitia, pax, gaudij per Spiritum sanctū. Quæ omnia Christus per se & solus præstat. Cum igitur regnū Christi spirituale sit, & perpetuo ipsius spirituali præsentia fruamur (quemadmodū ipse promisit his verbis: Ecce vobiscū sum vsque ad cōsummationē Rom. 14. seculi) nō tārū absurdū est, sed etiam blasphemum, dicere regnanti Christo tanquam absentī aliquē in terris substituendum esse. Audi enim quid dicat Ambrosius qui ea ipsa tractans quæ ex Luca citasti: Cælum, inquit, aspice, Iesus illic est: terram intue- Matth. 28. re, Iesus adest: hodie cū loquor mecum est, etsi in Armenia nunc loquitur Christianus, Iesus adest: nemo enim dicit Dominū Iesum, nisi in Spiritu sancto, fateor quidem

Christus  
per se re-  
gnat in ter-  
ris, contra  
Turrianū.



homines adhiberi ad prædicandum Euangelium, & ad cætera obeunda quæ ad ministerium Euangelicum pertinent, quos idcirco Paulus ait esse legatos Christi: sed tamen ille solus regnat, solus animos nostros flectit, solus in conscientiis nostris dominatur: neque confundendum est externum ministerium cum interiori & spirituali Christi regno. Ita igitur statuamus: fideles Evangelij ministros, legatos quidem Christi dici posse, & ipsius regni Ministros, sed esse visibile aliquod eorû regnum constituendum, ut sint *εἰκόνες* regni Christi, iã non esse argumentum disputantis, sed delirium somniantis. Hæc verò Petri verba nobis Turrianus impudens subiecit. Licet, inquit, Christû nunc non cernatis, tamen credentes exultatis gaudio ineffabili & glorioso. 1. Pet. 1. Ecce igitur, quomodo corporalis Christi absentia non impedit præclarum hoc effectum regni Christi, nempe ineffabile gaudium, quo animæ nostræ perfunduntur, ubi semel oculos fidei in ipsum defiximus. Diceret autem Petrus (si quidem vera nobis narraret Turrianus) se Christi absentis præsentiam supplere, & regnû in Ecclesia visibili exercere. Sed absit ut illud dicat: Erat enim memor huius præcepti à Christo traditi, Reges gentium dominantur, vos autem non sic, &c. Quò fit etiam ut Presbyteros moneat, ne dominium in Cleros exercent, expectantes adventum Christi Pastorum principis: tantum abest ut ipsi regnare debeant ad regnum Christi significan-

Turrianus  
refellitur  
ab ipso Pe-  
tro quem  
citavit.  
Pag. 16.

Matth. 20.  
Matth. 21.

gnificandum.

Postremò hoc loquendi genus repetitum à Turriano, Christum regnum suum vel in Ecclesiam, vel in Pontificem Romanum transfuisse, blasphemia non caret: nam, inquit Paulus, oportet eum regnare vsque quo omnes inimicos subiecerit pedibus eius: tunc autem tradet regnum Deo ac patri cum adoleuerit omne imperium, potestatem & virtutem. 1. Cor. 15.

Christus regnū suū nec in Ecclesiā, nec in Pontificem Rom. transfudit. cōtra Turrianum.

Quare vt finem faciamus ex iis quæ antè proposita sunt, confectum esse arbitramur, Principatum Pontificium nullo modo esse similem regno Christi, quod Christus ipse professus est non esse ex hoc mundo. Ioh. 18. Desine igitur, Turriane, regiam illam, aut etiam plusquam regiam Pontificum maiestatem, terrenum splendorem, fastum, pompam, illecebras, delicias (alia prætermitto, & quidem libens) desine, inquam, illa omnia cum regno Christi, tanquam tenebras cum luce comparare. Nam sic, id est vera Ecclesia agnoscit Christum suum regem, iustum, seruatorem, mansuetum (inquit Zacharias) & cuius regnum non externo rerum humanarum splendore, sed interiori luce in piorum animis refulget. Tunc autem verè splendidum, magnificum & augustissimum apparebit, cum debellatis hostibus, & in primis Antichristo deturbato, Christus veniet cum gloria viuos ac mortuos iudicaturus.

Conclusio.

Regnum Pōtif. cum regno Christi perperā Turrian. comparauit.

Zach. 9.

Matth. 21

Eadem quoque ratione sublatū est aliud Sophisma Turriani dum ait Pontificem Ro-

manum esse imaginem Sacerdotij Christi, quemadmodum Aaron fuit umbra illius. Nam Apostolus ad Hebræos umbram Aaronis ad vnum Christum refert, neque patitur vt post Christum alij summi Sacerdotes dici possint. Itaque vt regnum Christi in Euan-gelio tanquam in speculo nos fidei oculis in-tuemur: ita in illo ipso speculo Christi Sacer-dotinum contemplanur. Atque vt vno verbo dicam, cum totum hoc argumentum Tur-riani falsa relata pro veris nobis obtrudat, & legales umbras nõ proximè ad Christum sed ad Pontificem Romanum referat, sequi-tur ipsum esse alienissimum non tantum à Theologia sed etiam à rectè disputandi scièn-tia, tanquam ἐτερόδοξον & ἑρσικόν.

Heb. 9. 10.

Elench.  
Turr.

Arg. Turr.  
ἐτερόδο-  
ξον & ἑρ-  
σικόν.

Αντίφασις  
prior.

Itaque superioribus omnibus erroribus hanc certissimam veritatē opponamus. Hoc est noui Testamenti proprium, vt contineat expressam imaginē earum rerum quæ in cæ-  
lis sunt: (affirmante Turriano.) Atqui tan-  
tum abest vt regnum Pontificium sit imago  
expressa regni Christi, vt potius sit illi planè  
contrarium, quandoquidem regnum Chri-  
sti cœleste & spirituale est, regnum autem  
Pontificium terrenum est, crassum, carnale,  
& aliorum regnorum delicias superans. Er-  
go regnum Pontificium ad nouū Testamen-  
tum, & ad eas res quæ in cælis sunt non per-  
tinet. Ac ne fortè Turrianus suam illam ima-  
ginem Pontificiam à nobis planè repudiata  
esse conqueratur, aliquã ergo rerum præteri-  
tarum imaginem in regno Pontificio (quan-  
do ita

do ita Turrianus postulat) agnoscamus.

Visibile Davidis regnum in Iudæa, fuit *Avllqnoie*  
 umbra & typus regni Christi in Ecclesia, vt *posteriorio*  
 constat ex verbis Angeli: Luc. 1. à Turriano  
 citatis. vt autem priscis illis téporibus, Im-  
 peratores Romani Iudæam occupârunt, &  
 terrenum Davidis regnum ad se transférunt,  
 atque etiam Præfectus Romanus ex se-  
 de iudiciali per vim & nefas vsurpata, Chri-  
 stum verum Davidem condemnauit, & in  
 crucem egit: ita nouissimis temporibus Ro-  
 mani Pontifices Ecclesiam, quantum in ipso  
 fuit, occuparunt, regnûmque Christi ad se  
 transferre voluerunt, & ex illa sede quam  
 præter ius falsque vsurpârunt, puram Euan-  
 gelij doctrinâ & eius professores, id est, Chri-  
 stum ipsum, quotidie damnant, & modis om-  
 nibus excrucianos curant. Quemadmo-  
 dum igitur Romani Imperatores in Iudæa  
 regnantes, non fuerunt imago regni Christi  
 in Ecclesia regnantis: ita neque Pontifices  
 esse possunt. Quare dicendum est potius, Ro-  
 manos illos Imperatores Iudæam opprimen-  
 tes, fuisse umbram & typum eius expressæ i-  
 maginis quam in Pontificibus Romanis Ec-  
 clesiam opprimentibus, intuemur. Quode-  
 tiam & Romanorum nomen, & ipsa Imperij  
 Romani sedes apertè indicat, ad eò vt Tur-  
 rianus non dubitauerit Pontificum Prima-  
 tum regnûm Romanorum appellare.

Turrianus  
 Pontificis  
 principatû  
 regnû Ro-  
 manorum  
 appositè  
 nominatit  
 quandoqu  
 dem ad vi-  
 uum expri-  
 mit regnû  
 illud Ro-  
 man. quo  
 visibile Da-  
 uidis regnû  
 sublatû, &  
 vetus Ec-  
 clesia op-  
 pressa fuit.  
 pag. 14.

## LOCVS IX. ESAIÆ 59.

Hoc fœdus meum cum eis dicit Dominus: Spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non discedent ab ore tuo & ab ore seminis tui, & ab ore feminis seminis tui, dicit Dominus, ex nunc & in seculum.

*Sophisma Turriani.*

pag. 101.  
102. 103.  
104. 105.

De Christo & Apostolis eius prophetat. Semen enim Christi vocat Apostolos, semen autem feminis vocat Apostolorum successores. Ergo ad tradendam & conservandam Christi doctrinam, & sermones eius necessaria est secundum Evangelium ordinaria successio Apostolorum. Non autem alligavit Ecclesiam ad certas personas in ordinaria successione constitutas, sed potius Christus Ecclesiam sponsam suam huiusmodi successione Episcoporum usque ad finem seculi secum alligavit. Quare qui huiusmodi alligationem ordinariæ successione à Christo institutam, & ad obsequium & custodiam integræ fidei ac doctrinæ necessariam accusat, Christum accusat.

*Solutio*

*Solutio superioris Sophismatis.*

Admonuimus initio disputationis nostræ Argumentum assumptum à Turriano, duobus potissimum membris constare: quorum prius fuit de Romani Pontificis in vniuersa Ecclesia principatu: posterius verò de ordinaria Episcoporum successione ipsi Romano Põtifici adhærescente. Egimus autem de Primatu Romani Põtificis & aliquot Scripturæ locos declarauimus, quos Turrianus suorum Sophismatũ tenebris inuoluerat. Quare superest vt posterius hoc membrum, de ordinaria Episcoporum successione, pertractemus. Atque vt ea quæ a nobis disputabuntur facilius intelligi possint, dicendum est paucis in quibus dissentiamus, vt ita sequens disputatio sub vnum aspectum proponatur. Turrianus vnum tantum successione genus agnoscit, nempe successione ordinariam Episcoporum. Nos autem duplicem successione consideramus, quarum vna, eaque præcipua est successio doctrinæ: altera est, Ministerij Ecclesiastici successio. Turrianus puritatem doctrinæ & ipsam Ecclesiam alligat ordinariæ successioni, aut (vt mauult loqui) dicit Christum secum Ecclesiam alligasse ordinariæ Episcoporum successione. At nos neque doctrinæ puritatem, nec ipsam Ecclesiam ordinariæ successione esse alligandam, ex ipsius Christi verbo asserimus. Turrianus in Episcoporum successione solo nomine & externa ordina-

Posterius membrum Disputationis: De successione ordinaria pastorum Ecclesiæ.

Summa sequentis disputationis de successione. In quibus dissentiamus.

tione contentus est. Nos verò in Ministeriali successione, Ministerij substantiam, virtutem, & (vt ita dicam) vitam, id est, officium & Ministerium ipsum requirimus. Denique Turrianus ordinariam & visibilem Episcoporum successionem nunquã interrumpi, in Ecclesia cõtendit. Nos contrã, & posse interrumpi, & tũc extraordinariis modis ad ordinẽ ipsum esse redeundum, affirmamus. Hęc sunt igitur inter nos controuersa quæ sequenti disputatione agitabũtur. Sed quem admodum ij qui nauigant, ne fortè aberrèt, sibi solent Cynosuram proponere: ita ne nos Sophistica tempestates abripiant, nobis ob oculos proponemus verã definitionem successionsis, & ex ea totum huius disputationis cursum dirigemus. Primum ergo (vt homonymias valere iubeamus) loquimur non de fundi aut hæreditatis, sed de Ministeriali successione, quæ sine Ministerio intelligi nõ potest, & est, *en τὸ πρῶτον* definienda. Quare cùm Episcopatum Paulus vocet præclarum opus, sequitur, nec Episcopos, nec Episcoporum successionem sine præclaro illo opere esse posse. Definiamus igitur eam demum esse veram & legitimam Episcoporum ac Pastorum Ecclesiæ successionem, cùm veri Episcopi ac Pastores Ecclesiæ legitimè & ex ordine præscripto in verbo Dei, alij aliis succedentes, præclarum opus sui Ministerij exequuntur. Quæ cùm ita sint, & Episcopi Pontificij nihil eorum præstent quæ ad Ministerium Episcopatus pertinent (quod non tantum

Definitio  
successio-  
nis de qua  
disputatur.

1. Tim. 3.

tantum argumentis, sed etiam ipso sensu manifestè deprehenditur) efficitur vi ipsius definitionis in Ecclesia Romana successio- nem Episcoporum esse non posse. Veruntamen ne Turrianum arcere potius ab aditu disputandū, quàm cum ipso disputare velle videamur, iam nobis hic locus Esaiæ quem citauit expendendus est.

Turr. refel-  
litur à defi-  
nitione suc-  
cessionis.

Huius Prophetiæ Paulus est optimus interpres II. cap. ad Rom. vbi locū hunc Esaiæ exponit de Iudæis ad Christianā religionem tandem adducendis. Pendet enim sententia à proximè superiori versu, Veniet ex Sion liberator, & auertet impietates à Iacob: vel (vt est in cōtextu Hebraico) Ad eos qui resipuerint à peccato in Iacob. Tū sequitur: Et hoc fœdus meum cum eis, Spiritus meus qui super te est, & verba mea quæ posui in ore tuo, ab ore tuo non discedent, &c. Atque ita exponit Hieronymus, nempe de electis Iudæis Euāgelicæ prædicationi credituris. Sed quia non dubito quin excellens hæc promissio ad fideles etiam qui ex Gentibus crediderunt accommodari possit, facillè patiar hæc Esaiæ verba porrigi ad Ecclesiam vniuersam. Nunc expendamus argumentum quod inde Turrianus deprompsit. Hæc verba, inquit, dicuntur de Christo & Apostolis eius. Semen autem Christi significat Apostolos, quorum successores sunt semen feminis. vt autem nō discedant verba Christi ab ore feminis, necesse est id fieri per continuā Episcoporum successionem. Hoc est argumentū Turrlani, quod quantum valeat videamus.

Vera expo-  
sitiō loci  
Esaiæ quæ  
abicit Tur-  
rianus.

Confirma-  
tio ex Pau-  
lo.

Ex circun-  
stātia loci.

Ex senten-  
tia vet. In-  
terpre. lib.  
16. in Esaiā.

Argumen-  
tatio Turr.  
discitur.



Sionis illum liberatorem esse Iesum Christum Dominum & Seruatorem nostrum cum piis & orthodoxis omnibus agnoscimus. Quin & ipsi Iudæi coguntur hunc versum de Messia interpretari. Sic enim Abrahamus ille quem Hebræi sapientem nominant: Hic, inquit, est Messias. Sed ea quæ sequuntur in cõtextu, verba mea quæ posui in ore tuo, &c. variè ab interpretibus exponuntur. Nam alij existimant esse apostrophem ad populum, Enallage Hebræis familiarissima. Alij referunt ad Esaiam Prophetam. Alij denique ad Christum verum illum Messiam promissum in Lege & Prophetis. Verumtamen id nunc ego non acuratiùs discutio cum in illo argumento non versetur. Harum igitur omnium interpretationum vtrã velit eligat Turrianus, semper huc redibit summa huius Prophetiæ: nunquam fore ut verbum Dei discedat ab Ecclesia, & nunquam Ecclesiam esse Spiritu Dei desituendam. Quam sententiam ego libenter amplector, sed id quanquam verissimum, nego tamen ad Turriani cõclusionem villo modo pertinere, his rationibus. Primum enim Esaias loquitur de ipsius doctrinæ successione ut expressè dicit, Verba, inquit, mea, &c. Deinde si quis pertinaciùs contendat sermonem Esaiæ posse etiam accommodare ad ministeriale successione propter hæc verba: Quæ posui in ore tuo: certè effugere non poterit quin fateatur eiusmodi successione esse verorum Ecclesiæ Pastorum successione, quandoquidem nominatim Spiritus

Summa  
huius pro-  
phetiæ.

Locus E-  
saiæ Tur-  
riani sen-  
tentiam non  
adiuat.  
Prima  
ratio.



missione & Spiritus sancti virtute interiorer sentiant. Quod si negas (vt etiam falsum est) efficitur hanc Esaię Prophetiam non esse externa Ecclesię facie definiendam. Nam etiam si desit ad tempus ordinaria Pastorum successio, etiam si aliquandiu obscuratur Ecclesię facies, non propterea dicendum erit ipsa Electorũ Ecclesiã, de qua loquitur Esaias, esse vel Spiritu Dei, vel ipsi verbo destitutã.

Ad locum  
Esaię faci-  
lius intel-  
ligendum,  
Tria sunt  
discutienda.

Quod vt magis fiat perspicuum, & clariũs perspicere possimus quid sibi velit Esaias, tria sunt in hoc loco potissimũ consideranda. Vnum, quid significet verbum discedendi. Secundũ, quid nomine Seminis intelligatur. Tertiũ, quid sibi velit totum hoc cõplexum, Verba mea non discedent ab ore tuo, & ab ore seminis tui. Quibus expositis, sua sponte tuum argumentum euanescet.

Primum,  
verbum  
Discedendi  
discutitur.

Verbum Hebræum  $\psi$  hic positum discedere significat, vt Iudicum. 6. versu 18. Et quia discedendo priorẽ locum relinquimus, significat etiam plene relinquere, vt Ier. 17. Arbor fructifera dicitur nunquã discedere à fructu faciendo, non quod omnibus anni partibus eodẽ modo fructum & æquẽ conspicuũ edat, sed quia vis fructificãdi semper intimis radicibus inhæret, Possent multa alia exẽpla congeri, sed vnũ proferam  $\pi\omicron\lambda\lambda\omicron\nu\acute{\alpha}\nu\lambda\acute{\alpha}\xi\iota\omicron\nu\alpha\lambda\lambda\omega\gamma$ , ex quo facillẽ iudicabimus quidnã Scriptura nobis significet discedendi vocabulo, & quotusque ex eo argumentari liceat. Sic igitur Iacob prophetans apud Mosẽ, Ge. 49. Non discedet, inquit, sceptrũ à Iuda, & Legislatoꝝ ab eius

ab eius pedibus, donec veniat Silo ( id est  
 Messias benedictus.) Hic ponitur verbum  
 וָדוּ eiusdem significationis cū hoc verbo quo  
 vtitur Esaias, ad eò vt Paraphrastes Chaldeus  
 vtrumque locum exprimat per idē verbum,  
 nempe אָרָא. Et ipsi Septuaginta interpretes,  
 idem etiā verbū in vtroque loco vsurpārint,  
 videlicet τὸ ἐκείθεν. Agē nūc, Turriane, ostē-  
 de nobis sceptrū Iudæ visibile, conspicuū &  
 cōtinna illustriq; successione vigenš, in cap-  
 tiuitate Babylonica, tū cū omnes Iudæi ty-  
 rannico illo iugo premebantur. Deinde post  
 reditū ex illa captiuitate, cū Asmonæi (qui  
 non erant oriundi ex tribu Iudæ) regiā pote-  
 statē ad se transtulerunt, profer etiā nobis vi-  
 sibilē sceptri successiōē in illa tribu. Quòd  
 si non potes, nō iam ergo nobiscum disputa,  
 sed in Sanctum illum Patriarcham Iacobum  
 tui Sophismatis gladiū distinge. Quære ex  
 illo quānam fieri potuit, vt tunc nō discesserit  
 sceptrū à Iuda, cū nulla extiterit visibilis &  
 continua sceptri successiō. Nēpe licendū est,  
 conseruatas fuisse illius sceptri reliquias in  
 trūco Isai, licet in speciem penitus exhaurisse  
 videretur. Et certè Christus tanquā surculus  
 prodiens ex illo trunco (vt ait Esaias cap. 11.)  
 illud esse verissimum cōprobauit. Nūc, Tur-  
 riane, animaduertis errorē tuæ conclusionis:  
 Nunquā discedet verbū Dei ab ore Ecclesie,  
 ergo semper erit in Ecclesia eodē modo, sem-  
 per eadem erit Ecclesie facies, semper idem  
 erit status Euangelicæ prædicationis: deni-  
 que semper eadem erit visibilis & ordinaria

Ministorum Ecclesię successio. Quod perinde est vt si quis ita ratiocinetur : Nunquam ante Christi aduentum discedere debuit sceptrum à Iuda : ergo nulla potuit intercedere visibilis illius sceptri interruptio : quod tamè longè secus est. Itaque si quis comparet florētissimum regni Iudaici statum , qualis fuit Dauidis, & Solomonis temporibus, cum exilio Babylonico, aut cum iis temporibus quæ postea subsecuta sunt, ille maximam quidem perspiciet rerum dissimilitudinem, sed tamè veram semper fuisse Iacobi Prophetiam agnoscat. Simili ratione dicimus, licet ad tempus interrupta fuerit ordinaria, visibilis & legitima Pastorum successio, semper tamen hanc Esaię Prophetiã verissimã permanisse. Nec enim aliquid ppterca esse desinit quod hoc vel illo modo nō sit : neq; debēt qui aliorū disputationes exagitant (quod Turrianus in Lipsensem Academiã ausus est) ita peperam τὸ ὄν & τὸ μὴ ὄν confundere. Atque hæc nobis dicta sūt de verbo illo Discedendi.

Elench.  
Turr.

Secundum  
vocaliū  
Seminis  
discutitur.

Iam dispiciamus quid Esaias sibi velit nomine Seminis. Turrianus exponit semen de solis Apostolis & Episcopis. Sed refellitur expressis cōtextus verbis: Ego, inquit Deus, hoc meum fœdus cum illis pangam, &c. Per illos totam Ecclesiam intelligit. Et certè si de solis Ecclesię Pastoribus intelligendū sit, ergo actum est de reliquorum omnium salute: quãdoquidè extra fœdus Dei spes salutis esse nulla potest. Deinde cum semen Apostolorū solos Episcopos ait esse, manifestè pugnat cum

1. Cor. 4.  
Galat. 4.  
Phil. 1.

cum Paulo qui se eos in Domino genuisse  
 profiteretur, quos instituit, & ad Christianam  
 religionem adduxit. Quinetiã si proprie lo-  
 qui volumus, illi demum sunt filij & semẽ A-  
 postolorũ, qui verè & ex animo doctrinã A-  
 postolicã amplexi sũt. Ex quo fit, vt dicat Pau-  
 lus se Galatas iterũ parturire cùm à vera do-  
 ctрина descuissent. Ergone omnes Euange-  
 liũ prædicabũt, cùm Esaïas affirmet verbum  
 Dei non discessurum ab ore seminis Aposto-  
 lici? Respondeo, Esaïam non agere de sola  
 prædicatione, sed de cõfessione veræ fidei,  
 quæ omnium fidelium est propria. Nam, in-  
 quit Paul'. Corde creditur ad iustitiã, ore au-  
 tem cõfessio fit ad salutem. Manebunt igitur  
 Ecclesiastici gradus distincti, licet Esaïæ Pro-  
 phetia generaliter ad vniuersã Ecclesiã per-  
 tineat. Quod si aliquid amplius à nobis re-  
 quirat Turrianus quò probemus vocabulum  
 Seminis, quoties de promissionibus salutis  
 agitur, esse non de visibili ac terreno, sed de  
 spiritali electorum semine accipiendũ: ad  
 sequentes locos attendat. Gen. 17. Ero Deus  
 tuus & seminis tui: adde expositionem Pauli  
 ad Rom. 4. & 9. ad Gal. 3. Item: Esaïæ 1. Nisi  
 Dominus exercituum nobis reliquisset se-  
 mẽ, facti fuissetus vt Sodoma, & Gomorrhę  
 similes facti fuissetus: adde expositionem  
 Pauli ad Rom. 9. Itẽ Deut. 30. Dominus cir-  
 cuncidet cor tuum & seminis tui: & pleraque  
 similia, quæ satis docent semen piorum non  
 esse ad speciẽ aliquam exteriorẽ restringẽ-  
 dũ, cùm spirituale sit, & spiritualibus oculis

Rom. 10.

Nomen Se-  
 minis ad  
 ordinariã  
 & visibilẽ  
 successio-  
 nẽ restrin-  
 gẽdum nõ  
 est.

contemplandum. Cæterum quia Semen feminis exponis de Episcopis ab Apostolis institutis, quorum etiã semen debuit esse perpetuum, profer igitur nobis, si potes (atq; utinã possis) semen Episcoporum quos Apostoli instituerunt Antiochiæ, Ephesi, Corinthi, & (vt paucis dicã) in totius propemodum Oriëntis Ecclesiis, vbi ordinaria successio, summo totius orbis Christiani malo, iam pridem irrupta est. Quum autem Græcas Ecclesias habeatis pro schismaticis eò quòd nō agnoscunt Romanum Pontificem: quid ergo illis respondeas, Turriane, ita ex tua interpretatione argumentantibus: Se Dei Spiritu & eius verbo non posse destitui, quia sunt semen feminis: eos autem qui Spiritu & verbo Dei nituntur, perperam schismatis accusari. Vides igitur quid possit consequi, dū restringis nomē feminis ad ordinariam Episcoporum successionem. Atque (vt quòd res est dicam) videmini profecto in rebus seriis iocari velle, quãdo longum vestrorum Episcoporum catalogum contextitis, vt ita probetis legitimam Episcoporum successionem apud vos esse. Nam similiter facitis vt si nobis rogantibus vt verum hominis corpus, quòd nervis, ossibus, & carne constet, exhibeatis, vos aridum aliquē σκελετόν in mediū proferatis. Vt enim in σκελετῶν apparet quidē cōtinua offitium series, sed quã humana industria, nō autem vis ipsa naturæ composuit: ita profecto longum illum vestrorū Episcoporū ordinem post multos iã annos, nō ipsa Ecclesiæ virtus compegit

Successio  
Pontificiorum est, ve  
ræ successio  
nis σκελετός.

compegit, non legitima facultas Ecclesiæ formavit, sed humana tantum industria colligavit. Atque de vocabulo Seminis hæctenus.

Nunc aliquid etiam dicamus de toto complexo orationis. Dominus promittit nunquam fore ut suus Spiritus, & sua verba discedant ab ore Ecclesiæ: atque hinc Turrianus colligit nunquam visibilem Pastorum atque ordinariam successionem interrumpi posse. Proferamus igitur similes promissiones, atque ad eò clarè & expressè loquentes de ordinaria successione, quæ tamè non impedierunt quò minus visibilis & ordinaria successio fuerit interrupta. Ps. 68. de Sionis monte: Dominus perpetuò habitabit in eo. 2. Chr. 33. de templo Hierosolymitano: Nomen meum erit in Ierusalem perpetuò, ponam nomen meum perpetuò in hac domo & in Ierusalem quam elegi præ omnibus tribubus Israel. 2. Chronic. 7. Elegi & sanctificavi mihi hanc domum, ut nomen meum sit illic perpetuò. Contrà 2. Reg. 23. ab omni labor civitatem istam quam elegeram nempe Hierusalem, & domum de qua dixeram nomen meum erit illic, &c. Rursus. 1. Sam. 2. de Heli sacerdote: omnino decreueram quòd domus tua & domus patris tui incederet coram me perpetuò: sed absit à me, quin potius honore afficiam eos qui me honore prosequentur: at qui me contempnunt, ignominia afficientur. Ex his & aliis consimilibus locis efficitur apertissimas promissiones de visibili successione, & de externo Ecclesiæ

Tert. discutitur totum orationis complexum.

Refellitur Turrianus ab aliis Scripturæ locis ubi idem loquendi genus usurpatur.

Visibilis & ordinaria successio peccatis hominum potest interrumpi.



statu posse peccatis hominum interrumpi. Dices id euenisse temporibus veteris Testamenti, quod quidem agnosco, & eò arctius nequam argumentum hoc modo, Si cum adhuc legales ceremoniæ & visibilia veteris Ecclesiæ elementa locū haberent, cum adhuc vigeret localis, visibilis, & personalis successio, cum denique vniuersa Ecclesia vnius populi finibus contineretur, nihilominus tamē ipsa successionis promissio fuit sēper intelligenda, cum hac cōditiōe, nempe quādiu Israelitæ institutum illum ordinem sanctē colerent, & Legem Dei obseruarent, à qua etiam cum defecerunt secuta est visibilis successionis interruptio. Si inquam, illa omnia sub legalibus vmbriis locum habuēre, quid obsecro nobis postremis hisce temporibus dicendum est, quando mons Sion exaltatus est super omnes montes, ad quem non vnus Iudæorum populus, sed omnes populi confluāt, & quando fideles non iam hic vel illic adorāt, sed in Spiritu & veritate? Ecquis vnquam ferat Ecclesiam per vniuersum terrarum orbem diffusam ad visibilem, localem personalēque successionem Episcoporum ita astringi, vt qualescunque fuerint Episcopi, quibuscunque tandem erroribus scateant, quidquid credant, faciant, iubeant, tamen penes illos solos Ecclesiā mancipata maneat, & catenis plusquam ferrejs alligata? Atque vt nō tantum proferamus ea quæ sub veteri Testamento contigerunt, aliquid etiā ex nouo Testamento depromamus. Cum

Paulus

Esa. 2.

Ioh. 4.

Locus ad  
Theff. de  
Antichri-  
sto discuti-  
tur.

Paulus 2. cap. ad Theſ. prædicit futuram *Ἐπι-  
στασίαν* cū Antichriſtus *ὁ ἀντικείμενος* ſedebit  
in templo Dei, nōne ſatis aperte ſignificat  
veræ ſucceſſionis & legitimi ordinis interrup-  
tionem? non enim magis ſtare poteſt defe-  
ctio cum ſucceſſione, quàm Chriſtus cū An-  
tichriſto *ἀντικείμενος*. Rectè igitur ita conclu-  
dam ex Paulo: futura fuit defectio, ergo fu-  
tura quoq; fuit ſucceſſionis interruptio. At  
Paulus non loquitur de particulari aliqua  
defectione huius vel illius Eccleſiæ. Ait enim  
*τὸν ἀντικείμενον* ſeſſurum in templo Dei, & e-  
ius aduentum futurum cum omni potentia,  
vt damnentur omnes qui non crediderunt  
veritati, &c. Ex quo fit vt generalis interrup-  
tio ſucceſſionis ordinariæ ab Apoſtolo præ-  
dicatur. Obnititur quidem Turrianus quā-  
tum poteſt, & clariffimū hunc locum ſuis *σο-  
φισμασιν* aſpergit tanquā *ῥεπιά* atramēto, vt  
ita poſſit effugere, ſed fruſtrā. Ait enim Pau-  
lum hīc non intellexiſſe Pontifices Romanos,  
quia vnum tantūm ſignificat: plures autem  
fuerunt Romani Pontifices. At oportet mē-  
dacem eſſe memorē, Turriane, alioquin eius  
mendacia facillimè deteguntur. Tu verò in  
ſuperiori diſputatione vnoquoque verbo in-  
culcabas vnum eſſe caput viſibile Eccleſiæ,  
nempe Petrum in ſuo ſucceſſore: & in hoc  
argumento tibi placuit ipſum vnitatis voca-  
bulum, & Pontificem potius quàm Pontifi-  
ces uſurpare. Quare vel nobis tacentibus, te  
ipſe, Turriane, refutaſti. Quid quod Ponti-  
ficia decreta ( vt iam antè diximus ) vnam

Pag. 194.  
195. 196.  
Turriani  
locum Pau-  
li à Ponti-  
fice Rom.  
auertentis re-  
rationes re-  
felluntur.  
Prima rat.  
Turr.  
Refut.

Can. Non  
decet. Dist.

17.

Ecclesiam Romanam vnūque Pontificem Romanum toties Ecclesiarum omnium caput constituunt? quid, quod vos vnā toties sedem Apostolicā decantatis? Quinetiam cū Paulus dicat iam tunc mysterium iniquitatis peragi, noluit certē ad vnum hominem Prophetiam suam restringere. Quod si ne hęc quidem tibi satisfaciant, proferam ex ipso contextu quod te refellat, & (vt tuis verbis vtar) etiam inuitum reuincat. Sic enim Paulus: Tantū, inquit, qui tenet nunc, teneat donec ē medio sublatus fuerit, & tūc reuegetur impius ille, &c. Dum dicit, ὁ παρ' ἡμῶν, de vno quidem homine videtur loqui, sed ipsa temporum ratio necessariō cogit vt multos intelligamus eundem locum occupantes. Nec enim dices vnum hominem ab ætate Pauli ad finem vsque mundi (illuc enim refert Pauli Prophetiam) vitam producere vnquam posse. Sed ecce aliud etiam effugium captas, & ais Pontificem non se extollere aduersus Deum, quod Antichristus facturus est, cū se potius vocet seruum seruorum Dei. At iam hoc garrere est, non *Coloss. 3. 24.* Nam vbi obsecro tuus Pontifex se seruum seruorum Dei solet inscribere? annon in suis diplomatibus plusquam Imperatoriis? at illic non seruum agit, sed dominum cū omnes sibi fidem adhibentes ad obedientiam suis edictis præstandam adigat, alioquin ipsius anathematum fulminibus illico perituros? Aliud postremō cōminisceris, nempe prius tollendum

Secund. ratio  
Turr.

Refutat.

Tert. ratio  
Turr.

tollendum impedimentum quàm reueletur Antichristus. Hoc autem impedimentum esse, quòd nondum Euangelium prædicatum fuerit in vniuersa terra. Hic tibi non obiciam quod ait Paulus, Euangelium in totum mundum peruenisse: neque proferam illum versum Dauidis citatum à Paulo, & ab omnibus veteribus accommodatum Apostolorum prædicationi: In omnē terrā exiuit sonus eorū, & in fines orbis terræ verba eorū. Deniq; nō opponā tibi quæ toties Augustinus disputauit aduersus Donatistas de Ecclesia per vniuersum orbē diffusa: nec urgebo quod veteres illud impedimētū exponūt longè aliter, & longè melius quàm faciās, dum intelligunt de Imperio Romano, cuius tuus Pontifex præcipuā sedē occupauit: hoc tantum dico, te qui tam accuratus es Græcorū vocabulorū scrutator (yt nobis suprā declarasti) nō potuisse ignorare, quod ait Paulus ὁ κατὰ χανὰ πτῖ nō posse intelligi de Euangelio nondū per vniuersum orbē prædicato: adeò yt longè rectius veteres hoc verbū exposuerunt de Romano Imperatore. Verum enim uero, Turriane, dum etiam atque etiā sudabis in hoc Apostolico telo de corpore tui Pontificis reuellendo, mihi in præsentia satis erit, quod ex hac Prophetia Pauli, siue iam impleta fuerit, siue aliquando implēda sit, siue iam implēri cœperit, nondum tamen plenè euenerit (sic enim variè disputari solet, quæ de re non est nostri instituti prolixius agere) manifestum fiat, aliquando visibilem Eccle-

Refutatio.

Coloss. 1.

Psal. 19.

Rom. 10.

Chrysost.

in 2. ad

Theff. 2.

Ambros. i.

bidē. Ter-

tull. de ref.

car. Auguf.

de ciuit. D.

l. 20. cap.

19, &amp;c.

fiæ statum interrumpi posse, quod & *ἄνωγα-  
σιας* vocabulum indicat, & ipsa totius con-  
textus circumstantia apertè docet. Quamob-  
rem manet firmum quod antè diximus: ex

Conclusio.

verbis Esaiaæ quæ nobis obiecit Turrianus, perperam colligi successione ordinariam Episcoporum non posse vnquam interrumpi: siquidem de vera legitimâque successione intelligamus. Sic igitur paucis tibi respõsum esto: primùm illam promissionem esse spiritualẽ, & quæ ad solos electos pertineat,

Summa.

neque propriè & priuatim de Pastoribus aut eorum successione, sed potius de successione doctrinæ esse intelligendam. Deinde, licet hoc tibi dæremus, vt Esaiam de visibili & ordinaria successione Pastorum Ecclesiæ intelligeret, semper tamen inesse hanc conditionem, videlicet quãdiu visibiles Ecclesiæ Legem Dei obseruabunt, & colent legitimum ordinem ex Dei verbo institutum. In summa: interire quidẽm Ecclesiam non posse (quia electi non pereunt) sed posse Ecclesiæ faciem ad tempus obscurari, & (vt Ieremiæ similitudinem vsurpem) aurum Ecclesiæ, id est, non Pontificum diuitias, sed ipsius Ecclesiæ puritatem, ordinem, splendorem conspicuum posse situ & squalore ita obduci, vt quiduis potius quàm aurũ esse videatur.

Thren. 4.

Superest, vt in Turrianum ita argumentũ suum regeramus: ea est veræ & legitimæ successione cum doctrinæ, tum Ministerij probatio, quòd spiritus Dei & ipsius verba nunquam recedēt ab ore Pastorum & Ministro-

Αὐτῆς  
prior.

rum

rum Ecclesiæ, quemadmodum docet Esaias, (interprete Turriano.) At Spiritus Dei, & ipsius verba *impridè* recesserunt ab ore Episcoporum Ecclesiæ Romanæ: neque dici potest, verba Dei esse in ore Romani Pontificis, non tantum quia non annuntiat verbum Dei, sed etiam quia sua potius mandata, edicta, decreta, placita, non ex Episcopali cathedra sanctis concionibus personate, sed è folio plusquam regio anathematum fulminibus vndique percrepante, iubet promulgari. Quare vera successio tam doctrinæ quam Ministerij, non est penes Romanam Ecclesiam.

Item apud Esaiam Semen intelligi debet de Apostolis, & Semen feminis de Episcopis Apostolorum successoribus (inquit Turrianus) Atqui solet parentum vultus in liberis extare, & (vt præclare scripsit Basilus) liberi solent agnosci ex similitudine parentum in ipsis conspicua. At in Pontificiis Episcopis nullam Apostolorum effigiem, nullam umbram dignoscimus. Quamobrem non sunt semen feminis &, ita dictante consequentia Turriani, non sunt Apostolorum successores.

Αντιφασος  
posterior.

Basil. Ep. 1.

L O C V S X. M A T T H 28.

Profecti ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti: docentes eos seruire omnia quæ mandavi vobis: & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.

*Sophisma Turriani.*

Pag. 102.

103. 104.

105.

*Ad superiorem Prophetiam Esaiæ pertinet quod Dominus ait in Euangelio, Euntes ergo docete omnes gentes, &c. Et ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Quomodo enim cum Apostolis qui iam à vita recesserant adhuc manet usque ad consummationem seculi nisi quia viuunt Apostoli in suis successoribus? Qui enim hos audiunt, Apostolos audiunt, & per hanc ordinariam successionem Dominus implet promissionem suam manendi in Ecclesia cum Apostolis usque ad consummationem seculi, & semper est cum Apostolis docendo, baptizando & predicando per eorum successores. Sic enim Christus, Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi: vobiscum, inquam, sum instituendo, baptizando, & doctrinam mandatorum tradendo. Hæc autem cum non faciat Dominus visibiliter, necesse est per Ministros faciat, qui cum sint mortales, consequens est ut promittat hic successionem ordinariam vicariæ ordinationis Ministrorum, qui sunt Episcopi. Quare qui habent ministros non succedentes Apostolis successionem vicariæ ordinationis, hi Christum non habent cum illis ipsi manentem usque ad consummationem seculi.*

*Solutio*

*Solutio superioris Sophismatis.*

**H**ic duobus modis à Turriano peccatur: Duo præcipui errores Turriani in hac argumentatione.  
 Primum enim promissionem præsentia Christi ad solos Ministros Ecclesiæ restringit, quæ tamen pertinet ad Ecclesiam vniuersam: Deinde ipsos Ministros & Episcopos Apostolorum successores definit eos esse tantum, qui ordinariam habent successionem vicaria ordinatione: cum tamen Christus in hoc loco longè aliam notam iis apponat, nempe docendi seruare ea omnia quæ mandauit. Quanquam autem in loci proximè superioris explicatione hic error Turriani fuit profligatus, tamè paucis agemus de vera huius loci quem ex Matthæo citauit interpretatione.

Christum non solis Ecclesiæ Pastoribus, sed sanctis omnibus, id est, toti Ecclesiæ se perpetuò affuturum promittere, facile ex ipsa loci circumstantia colligi potest. Sic enim Christus, Docete, inquit, omnes gentes seruare omnia quæ mandauit vobis: & ecce ego vobiscum sum, &c. Nemo non videt ex contextus serie, & ex ipsa copula, postrema verba tam ad eos qui docebunt, quam ad eos qui docebuntur & credent Euangelicæ prædicationi, esse referenda: non minus quam Christus apud Iohannem testatur, se non tantum pro Apóstolis precari, sed pro iis etiam omnibus qui per sermonem eorum essent credituri. Præterea ea est natura fidei & ea baptismi virtus vt Christum nobis præsentem

Vera expositio loci Matthæi. i. Ex circūstantia loci.

2. Ex aliis Scripturæ locis.

Ioh. 17.



Rom. 6. exhibeant. Hinc ea loquendi genera apud  
 Gal. 3. Paulum : Nos per Baptismum cum Christo  
 Rom. 8. plantatos coaluisse. Item: Quicunque in Chri-  
 sto baptizati sunt Christum induisse. Item:  
 Christum in suis per Spiritum suum habitare.  
 Et eiusmodi permulta. Quò referuntur  
 Ioh. 14. etiam promissiones de spirituali Dei præ-  
 Ies. 43. 59, sentia cum Ecclesia perpetuò futura. Hoc  
 &c. modo veteres locum hunc Matthæi intelle-  
 In Matth. xerunt. Sic enim Chrysostomus: Non cum  
 hom. 91. ipsis solùm, inquit, se futurum dicit, sed &  
 3. Ex sen- cum omnibus qui post illos sunt credituri.  
 tentia ve- Non enim vsque ad seculi consummationem  
 rerum. permanfuri erant Apostoli, sed fidelibus lo-  
 quitur velut vni corpori. Sic etiam Basilius,  
 Ad populù Augustinus, Cyprianus, & plerique omnes  
 hom. 25. locum hunc intellexerunt. Ita igitur subdu-  
 In Iohan. ctum est fundamentum Sophismatis. Nunc  
 Tract. 50. eius singulas partes discutiamus. Christus,  
 De ciuit. inquit, semper est cum Apostolis docendo,  
 D. libro 20. baptizando & prædicando: Ergo semper est  
 Lib. 4. ep. 1. cum eorum successoribus, qui ipsis vicaria  
 cap. 9. ordinatione succedunt. Primum hoc nimis  
 Argumen- exiliter & ieiunè dicitur, Christù adesse Apo-  
 tatio Tur- stolis docendo & baptizando. Quasi verò tunc  
 riani discu- demum Christus adsit sue Ecclesiæ cum ha-  
 titur. bentur conciones, vel cum Sacramenta cele-  
 brantur. Deinde manca est hæc limitatio quã  
 Omittit addit, de vicaria ordinatione. Nam retinen-  
 successio- da est in primis doctrinæ successio, sine qua  
 nê doctri- vicaria illa ordinatio toties à Turriano cõ-  
 nã. mendata, nullius est momenti. Est igitur in-  
 eptissimum omittere Doctrinam, cuius no-  
 minatim

minatim meminit Christus, & solam vicariam ordinationem obtrudere, cuius Christus nullam hinc mentionem fecit. Itaque Turriani expositionem ipsam urgebo hoc modo: vobiscum sum docedo ea servare quae mandavi vobis (sic enim Turrianus exponit.) Ex quo efficitur, ut ij quibuscumque Christus non est docendo, id est, qui non Christi doctrinam, sed humana commenta docent & praedicant, successores Apostolorum esse non possint, licet centies iactent vicariam ordinationem. Nec verum est quod putat Turrianus, istam ordinationem quam vicariam appellat, esse certam notam successionis Apostolicae: nam (ut in Act. 20. finita alia praetermittam) cum Paulus Ephesinos Episcopos vel Presbyteros compellat, Noui, inquit, ex vobis ipsis exoriturus qui loquantur peruersa ut Discipulos post se abstrahant. Certum illi habebunt vicariam istam ordinationem, neque tamen erunt Apostolorum successores. Primum igitur omnium proba nobis, si potes, Episcopos Pontificios adeoque ipsum Pontificem recte ac legitime vocatos esse (sic enim Christus, euntes docete) deinde pure Euangelium docere, Sacramenta ita uti praescriptum est administrare, & ea omnia praestare quae Christus mandauit, tunc *Verbum Dei in vobis* effeceris Christi promissionem ad illos pertinere. Tu vero illa omnia praetermittis, & hoc vnum urges, Christum semper ad futurum Apostolis, docendo & baptizando: & hinc efficis necesse esse ut semper etiam futuri sint qui verbum Dei praedicent,

Turrianus  
refellitur  
ipsa sua ar-  
gumenta-  
tione.

Act. 20.

Turr. re-  
felleitur ex  
absurdo  
conseq.

Succes-  
sio  
doctrinæ  
non est al-  
liganda vi-  
cariæ suc-  
cessioni.

Elench.  
Turriani.

qui baptizent & doceant seruanda esse quæ  
Christus mandauit. Verùm quid illud ad  
Pontificios Episcopos? debes igitur ante o-  
mnia probare illos docere quæ Christus mā-  
dauit esse seruanda, aut certè hunc locum iis  
perperam accommodas. Atque vt videas  
quàm parum aptè ratiocineris: si tibi credi-  
mus hunc locum Matthæi interpretanti, eò  
nos deducet tua argumentatio, vt dicamus  
semper futuros esse aliquos qui omnes gen-  
tes doceant, id est, semper futurum Apосто-  
lorum cœtum & ordinem in Ecclesia (nam  
Apostolorum proprium fuit omnes gentes  
docere vt antè dictum est) at illud esse fal-  
sissimum non tantum ratio, sed etiam expe-  
rientia confirmat. Quamobrem perpetuò  
quidem manebit verbum Dei in Ecclesia,  
quia Christus adierit Ecclesiæ vsque ad con-  
summationem sæculi: sed quemadmodum i-  
psius Ecclesiæ status exterior & visibilis non  
semper est idem: ita non semper eodem ex-  
teriori modo ipsum Dei verbum in Ecclesia  
docetur. Quandiu enim steterit ordo legi-  
timus Ecclesiæ, tandiu certè Pastores vt Ec-  
clesiam doceant ordinaria successione pro-  
pagabuntur: sed si Ecclesiæ ordo collapsus  
& exterior Ecclesiæ facies deformata fuerit,  
tunc Dominus extraordinariis modis, & sui  
verbi doctrinam conseruabit, & cum ipsi vi-  
debitur, collapsum ordinem restituet. Esti-  
gitur error *ἡ δὲ τὸ ἐπάμεινον* minimè feren-  
dus, cum ita concludis: Erit semper in Ec-  
clesia veræ doctrinæ successio, ergo id neces-  
sariò fiet per vicariam ordinationem, & per  
successio-

successione ordinariam Episcoporum Ec-  
 clesie Romanæ. Nam antecedens quidem  
 probari potest ex Matthæi loco, & ex perpe-  
 tua Christi cum suis præsentia: sed conse-  
 quens est planè ἐπίσκοπος, & aliunde inue-  
 ctum, neque quicquã habens cum loco Mat-  
 thæi commune. Deinde tuo, id est, Sophista-  
 rum, more, vt nobis imponas à re ipsa, ad rei  
 modum transis, quem cum re ipsa ἀπαιδέως  
 confundis. Verùm fac me non ita summo  
 iure tecum agere, certè tuam consequentiam  
 vel ipsi Episcopi Pontificij refellunt, quia  
 eorum doctrina non est vera, neque cum mā-  
 datis Christi, & cum Apostolorum prædi-  
 catione eorũque scriptis conueniens. Au-  
 di igitur quemadmodum nobis potius liceat  
 argumētari. Episcopi Pontificij non retinue-  
 runt doctrinæ puritatem, & tamen vicariam  
 ordinationem & successione ordinariam  
 (saltē nomine tenus) retinuerunt. At non po-  
 tuit perire doctrinæ puritas in Ecclesia ex an-  
 tecedēte tuo: ergo necesse est doctrinæ puri-  
 tatem alio modo quàm vicaria istorũ Episco-  
 porũ ordinatione fuisse in Ecclesia conserua-  
 tā. Sed rursus instas & contēdis alligationem  
 ordinariæ successione à Christo esse institu-  
 tā, & D. Andreã eò quòd id neget bellũ docto-  
 rē per ludibriũ appellas. Quid si dicã nõ esse  
 boni doctoris, imò ne doctoris quidē, toties  
 principiũ petere, & quod semel opinionis er-  
 rore cõfinxerit, tanquã oraculũ fundere? iã e-  
 nim planũ fecimus, tuũ illud somniũ nullũ ha-  
 bere in verbis Christi fundamētũ. Nec enim

Retorque-  
 tur arg. in  
 Turrianũ.

An Chri-  
 stus secum  
 alligavit  
 Ecclesiam  
 ordinaria  
 successio-  
 ne.

ex illis sequitur Ecclesiã alligari Christo per vicariam ordinationem, aut per ordinariam successione[m] Episcoporum: sed potius per ipsius doctrinæ puritatem, quæ Ecclesiam cum Christo arctissimo vinculo coniungit.

Christus  
Ecclesiã se-  
cum alligat  
successione  
doctrinæ.

Neque sequitur eos omnes qui vicariam habent ordinationem, esse Apostolorum successores, vt iam antè disputauimus. Tu verò bellè disputator, nobis explica quid tibi velis nomine alligationis. Nam Ecclesiam aliis rebus quàm verbo Dei alligari, aut aliunde quàm ab eo pendere, ab ipso Dei verbo didicimus & constanter credimus. Quomodo igitur stabit tuum istud loquendi genus: Alligatio ordinariæ successione[m]? Nimirum, inquis, ad obsecrationem & conseruationem integræ fidei & doctrinæ necessaria est ordinaria successio. Audio: verùm quis te illud docuit, aut vnde petis tantum necessitatis vinculum? imò potius vel eo maximè purum est atque verissimum Dei verbum, quòd ab hominibus natura corruptis & mendacibus nõ pendeat. Quocirca Thessalonicensium fides commendatur quòd Apostolicam prædicationem receperint, non tanquam sermonem hominum, sed tanquam verbum Dei. Atque vt paucis tua ista sententia profligetur, affero duplicem *ἐπισημῶν*, ex qua manifestum est puritatem Doctrinæ non esse alligatam ordinariæ successione[m]. Nam in Ecclesia Israelis interrupta fuit ordinaria Sacerdotu[m] successio, & tamen illic Ecclesia delitescbat, id est, fidelium cætus, qui non flexerant genua idolo

1. Thess. 1.

1. Reg. 12.

1. Reg. 19.

Baal,

Bal, & doctrinæ puritatem retinebant. Con- 2. Reg. 16.  
 trà verò, Hierosolymæ regnante Achaz, du- 2. Chr. 28.  
 rabat quidem exterior & visibilis successio  
 Sacerdotum, sed nihilominus Ecclesia cras-  
 sissimis erroribus fuit propemodum obruta,  
 cum Templum Dei clausum esset, & Vrias  
 Sacerdos, iubente rege, cultum Dei publicè  
 profanaret. Item Hierosolymæ vige-  
 bat ordinaria successio, & tamen doctrina erat cor-  
 ruptissima, tum cum illi ipsi Sacerdotes Chri-  
 stum in crucem sustulerunt. Ex quibus effi-  
 citur, & puritatem doctrinæ sine successione  
 visibili & ordinaria, & rursus eiusmodi suc-  
 cessionem sine puritate doctrinæ esse posse.  
 Atque (vt ratio consequentis postulat) altera Puritas do-  
 alteri non esse necessariò alligatam. ctrinæ sine  
 successione  
 visibili, &  
 successio vi-  
 sibilis sine  
 puritate  
 doctrinæ  
 esse potest.

Sed facetus etiam nū videri voluisti cum  
 ita cauillaris: Si reliquiæ quas semper in Ec-  
 clesia remansisse dicimus, fuerunt inuisibiles,  
 fuisse igitur spiritus, carnem & ossa non ha-  
 bentes. Quid si dicam, Turriane spirituales  
 illas Ecclesiæ reliquias longè anteponendas  
 esse Ecclesiæ visibili & cōspiciuæ, quæ exter-  
 no splendore luceat, auro gemmisque præful-  
 geat, denique carnē & ossa habeat, atque in-  
 terim sit Spiritu destituta? Hoc verò solius  
 Dei protectoris & vindicis Ecclesiæ bonita-  
 ti & summæ erga nos misericordiæ acceptū  
 referimus, eique immortales gratias agimus  
 quòd Pontificiis tenebris tam longè latèque  
 diffusis, voluerit tantulas illas reliquias vobis  
 esse inuisibiles, vt ad aliquod tēpus vestros i-  
 gnes & gladios laterent, sed tandem aliquādo

Pag. 179.  
 Cauillum  
 Turriani  
 dereliquiis  
 Ecclesiæ,  
 refutatur.

vobis frustra obnitētibus visibiles factę sunt, & ex illa semente aliquandiu tenebris obruta surrexit amplissima seges, non iam inuisibilis, sed quam vos inuiti, oculis dolentibus, vidistis, & quotidie videtis in vniuersa terra-

Ad hęc in-  
terrogatio  
nem Tur-  
riani: vbi  
tandiu no-  
stra Eccle-  
sia delitue-  
rit? respon-  
sio.

Can. quoniam dist.

24.

Can. nullus. & Can. in ordinatione. Can.

studij. C. obitum. Dist. 61.

Can. clerici. C. vota.

Can. sacrorum. Dist. 63.

Can. quibusdam. 3. quęst. 1.

Can. gratia. C. qui-

cunque. 1. quęst. 1. & c.

Lib. Sent. 4. Dist. 25.

rum orbis conspectum clarissimę proceduntę. Itaque quia tibi videris magnificę triumphare dum ita nobis insultas, & quęris, Vbinā tandiu nostra Ecclesia delituerit. Ego vicissim a te quęro vbinam gentium Ecclesia Apostolica, id est, qualem Apostoli instituerunt, per multa annorum secula delituerit. Quęro

ecquoniam sepulchro fuerit consepulta vetus illa ordinatio quā pij maiores obseruabant in eligendis & ordinandis Ecclesię ministris.

Quęro quoniam abierint pręclara hęc instituta, iam pridem ex oculis vestris sublata: sine Clericorum consilio & populi testimonio ac consensu, nemine ab Episcopo ordinari posse.

Episcopum non absque Synodo Episcoporum eligendum esse, idque rogante Clero & attestante ac consentiente populo: Eos qui pecunia vel fauore principum ad Episcopatum perueniunt, Episcopos non esse: nec ius vllum ordinandi habere.

Iam pridē Sacerdotale ordinē occidisse, quando ad sacrum ordinē nemo peruenit sine dono: (quod flēs dicebat Gregorius)

Schismaticos nullum habere ius in Ecclesia sed excommunicatos esse, & ordinationes ab excōmunicatis factas, esse nullas (cū tamē ab Eugenio Romano Pōtifice Schismatis damnato Episcoporū vestrorum deinceps successio

cessio

cessio profluxerit.) Eos demum pro Episcopis agnoscendos esse qui portionē gregis sibi ascriptā regunt, qui sanctis & assiduis concionibus populum sibi creditum instituunt. Qui denique populo nō tantum verbo, sed etiam exemplo & vitæ sanctimonia prælucent. Illa, in quā, omnia vel Pontificiis decretis toties celebrata, Turriane, in Romana Ecclesia iam pridem non videmus: sed ea videmus potius quæ sunt piis illis institutis planè contraria. Tu verò perinde ac si nobis oculos confixeris, impudenter affirmas, quæcūque olim ab Ecclesia Catholica observata sunt, ea omnia in tua Ecclesia reperiri: atque ita non iam rationibus, sed ab ipso sensu redarguendus es. Videmus enim vestras ordinationes, nunquam sine nummis, rarò sine favore principum fieri: videmus perpetuas vestrorum Sacerdotiorū nūdinas: videmus denique quibus gradibus ad vestra illa sacerdotia pervenire soleatis. At in vestris ordinationibus, neque doctrinæ, neque morum examen, neque consensum populi videmus. Vestros Episcopos in suis Diœcesibus nemo videt præsentem, nemo audit concionantes. Ac ne plura confectè, à te Turriane postulo, ut nobis repræsentem Catholicam Ecclesiam quam Apostolorum & piorum maiorum temporibus scimus extitisse. Profers, scilicet, librum illum quem vos Pontificale vel Rituale appellatis: ubi certa verborum formula præscribitur in Presbyteris ordinandis. Quid? tunc qui nuper nostræ Ecclesiæ reliquias

Pontificale, vel Rituale: liber citatus à Turriano. mirum autem quod non etiam suum Breuiarium citauerit.



Si Turri-  
no credi-  
tur, Ecce-  
lia Catho-  
lica in vna  
pagina li-  
bri delite-  
scit.

reliquiis delitescantibus illudebas, nunc Ec-  
clesiam Catholicam eò redigis, vt in vna libri  
pagina peregrino sermone exornata, delite-  
scere videatur. Atqui non curamus de illo  
Dialogo *ἑραπεινός* Officialis & Archidia-  
coni, quem nobis recitasti: ille inquam toga-  
tæ fabulæ nos non mouët: rē enim ipsam de-  
tracta larua intuemur, atque affirmamus ve-  
stras ordinationes nō eas esse quas Apostoli  
instituerunt, & quibus vsa est vetus & Apo-  
stolica Ecclesia. Itēmq̃ affirmamus vestros  
• Episcopos, si nomen excipias, nihil cum ve-  
teribus Episcopis habere commune: ad cō vt  
perperam in rebus dissimillimis ius legitime  
successionis quærat, in qua non tantum  
*ὁμοίτητα*, sed etiam propemodū *αὐτότητα* esse  
necesse est.

An Ecce-  
lia Rom. sit  
Catholica.

Iam vt progrediār vltcrius, cūm toties re-  
petitis vestram Ecclesiam esse Catholicam,  
dico, Turriane, nihil vos præter merum som-  
nium narrare. Ac mihi profectō videmini il-  
lius piscatoris similes, qui apud Theocritum  
famem suam aureis somniis pascebat, olim  
pag. 254. (te citante) conquerebatur Innocentius Pon-  
tifex quòd plerique traditiones Ecclesiæ Ro-  
manæ non obseruarent, quid nunc ergo face-  
re debeant Pontifices Romani? nam vbi est  
ista Ecclesia Catholica in qua illi principa-  
pag. 297. tum exercent? Primūm, omnes Græcas Ec-  
clesias fateris ipse non agnoscere Primatum  
Romani Pontificis. Idem tibi dicendum est  
de Ecclesiis quotquot sparsæ sunt per Asiam  
& Africam. In Europa verò nostra, magnam  
vides

vides Germaniæ & Heluetiæ partem tuo Pontifici renuntiasse. Et id tibi fuit causa scribendi tuum librum de Ordinationibus, quem nunc discutio. Ac ne mihi sint aliæ regiones Europæ oratione peragrandæ, affirmo nullum esse regnum, nullam gentem (nec Italiã quidem ipsam excipio) cuius magna pars Pontificium illum Principatum, vel partem non reiiciat, vel (si per vestros ignes & gladios id non licet) apud se non detestetur. Quare minor te ad eò & veritatis & tui ipsius oblitum fuisse, vt alicubi in tuo libro ita scripseris: Quod reliquæ Ecclesiæ, inquis, per cunctum Occidentem vident, vos non ita multi in Germania cum Caluinianis, qui iam pene interitum, adiuuante Deo, cœperunt, non videtis. At Turriane, dũ improbè tibi tuisque crudelitatem gratularis, tua certè isthæc gratulatio fuit illa ipsa crudelitate crudelior. Quinetiã non te puduit hæc Aggæi verba citare, Vnusquisque in gladio ad fratrem suum, vt inde pbes tuum Pontificem iure in Euãgelii professores sauire posse. Quid? idcirco in tuo lib. scripsisti nos à vobis, velimus nolimus, fratres appellari vt in nostrum caput Prophetia Aggæi implere videamini? Atqui loquitur Aggæus de ipsis Ecclesiæ hostibus (quod miror à te non fuisse animaduersum) quos tandem prædicat mutuis vulneribus interituros. Ergo nõ poteras melius damnare tuum Pontificem quàm dum illum, dum te, tuosque omnes sodales Iesuitas inter hostes Ecclesiæ recensuisti. Vtinam verò pacem potius optares, & sanctam totius orbis Christiani concordiam,

De sœuitia  
quam Pon-  
tificij in E-  
uangelij  
professo-  
res exer-  
cent.  
pag. 248.

pag. 180.  
Aggæi 2.  
Turr. citã  
Aggæum,  
refutatur.  
pag. 272.

quàm nos à Deo Opt. Max. totis animis deprecamur, & omni studio totisque viribus procuramus. Quamobrem desinite tandem sanguinem nostrum poscere, nostro iam pridem sanguine, nisi prorsus estis infatiabiles, plusquàm satiati. Sed (redeundum est enim ad propositū) cum vniuersus propemodū orbis, Pontificium principatū, vel prorsus, ignoret, vel certè excretur, (id quod innumerabiles homines in dies magis magisque faciunt, & facient, adiuuante Deo, tantum abest vt illi iam penè interitum cœperint, quemadmodū sibi falsò persuasit Turrianus) consequitur Ecclesiam Romanam nulla ratione Catholicam dici posse: ac proinde frustra de Catholicæ Ecclesiæ successione gloriari: cuius rei confirmationem Turrianus ex eo Matth. loco quem nunc tractauimus petere voluit, sed quàm ineptè, confido ex superiori disputatione omnibus esse manifestum. Reliquum est vt hunc Matthæi locum in ipsum Turrianum ita conuertamus.

Conclusio.

*A'vriq'ois*

Ex his Christi verbis quæ apud Matthæum extant: Ecce vobiscum sum vsque ad cōsummationem seculi, probatur Ecclesiæ Catholicæ & Episcoporum qui Apostolis succedūt perpetua & legitima successio (ita disputante Turriano.) At Romani Pontifices, & Episcopi Pōtificij suas traditiones proponunt, neque docent ea seruare quæ Christus mandauit. Quare cum Christus promiserit suam præsentiam illi Ecclesiæ quæ docebitur seruare quæ ipse mandauit: sequitur Ecclesiæ Catholicæ

tholicæ, & Episcoporum Apostolis succeden-  
tium veram & legitimam successionem, ad  
Romanam Ecclesiam, minimè pertinere.



LOCVS XI. ESAIÆ I.

Præficiam iudices tuos sicut priùs, &  
consiliarios tuos sicut ab initio.

*Sophisma Turriani.*

*Iudaicum est intepretari promissos hinc pag. 324<sup>o</sup>  
Iudæis fuisse, post captiuitatem Babylonicam, 325<sup>o</sup>  
Zorobabelem, Esdram, Nehemiam, & alios  
(teste beato Hieronymo) estque locus intelli-  
gendus de Apostolis, & de iis qui per Apo-  
stolos Ecclesiis præposuunt. Relinquitur ergo vt  
Iudices promiserit Ecclesiæ nostræ quales fue-  
rant prius Iudices illi Israelitici populi, qui non  
per legem seculi neque per suffragia populi, nec  
illius Magistratus autoritate creabantur: sed  
sicut scriptum est in libro Iudicum, Deus susci- Iud. 2.  
tabat eos, & erat cum eis, & liberabat popu-  
lum. Sic enim beatus quoque Basilius in Com-  
ment. Esaiæ intellexit. Episcopi autem sunt iu-  
dices Ecclesiarum, & Presbyteri sunt Episcopi  
consiliarij.*

*Solutio superioris Sophismatis.*

De argu-  
mentis a-  
nagogicis.

Argumenta anagogica, ut fidē faciant, de-  
bere niti claris & expressis testimoniis,  
doctissimi quique interpretes tradiderūt, &  
quoties veteris Testamenti promissiones ad  
nouum Testamentum transferuntur, nō esse  
vocabula singula præcisē vrgēda, modò ipsa  
rei substantia retineatur. Hoc an Turrianus

Locus cita-  
tus aduersa  
tur Turria-  
no.

Vera expo-  
sitiō loci.

in 1. cap. E-  
saie.

præstiterit nunc non quæro, cū sit potius à  
suis accusandus quòd hunc Esaie locum non  
tam aduersus sententiam nostram obiicere,  
quàm in nostræ sententiæ confirmationem  
adiicere videatur, ut patebit ex ipsius loci in-  
terpretatione. Quanquam autem huius Pro-  
phetiæ radij quidam emicuerunt in libera-  
tione Iudæorum, eorūque reditu ex Baby-  
lonica seruitute, rectè tamen doctores Chri-  
stiani plenum huius promissionis effectum  
referunt ad spiritualē Ecclesiæ liberationem  
& instaurationem, quam Christus nobis ex-  
hibitus plenissimè perfecit. Quemadmodum  
igitur non sunt audiendi Iudæi qui locum E-  
saie ad terrenam liberationem restringunt:  
ita nolim iis assentiri qui liberationem & re-  
ditum ex Babylonia planè excludunt ab hac  
promissione. Non enim sine causa Chryso-  
stomus hunc locum explicans: Ascensum, in-  
quit, siue reditum eorū denuntiat, sublatis  
videlicet è medio iis qui incurabili agritu-  
dine laborarant. Reliquam insuper medelæ  
speciem addit, nempe administrationem seu  
præfecturam probatorum Principum, &  
copiam consiliariorum qui boni sint. Hæc

Chrysoſtomus.

Nec id planè negat Hieronymus (quod tamen Turrianus videtur ſignificare) ſed tantum aliam expoſitionem præfert. Itaque ſi velis anagogicè referre hanc Prophetiam ad Chriſti tempora, dices futuram per Chriſtum fuiſſe veram Eccleſiæ liberationem & inſtaurationem, cuius reditus ex Babylonia, & ſtatus Iſraeliticæ Republicæ tunc quodammodo inſtauratus, fuit quædam veluti imago atque præludium. Sed quia id nobis nunc propoſitum non eſt fuſius perſequi, videamus quòdnam hinc argumentum Turrianus depromſerit. Hæc, inquit, intelligenda ſunt de Apoſtoliſ, & eorum ſucceſſoribus: ita vt Iudices ſint Epifcopi, & conſiliarij Presbyteri, de quibus loquitur Eſaias. De mus ſanè ita exponendum eſſe hunc locum: quid hoc obſecro ad Pontificiorum ſucceſſionem? imò quid magis illi contrarium proferri poſſit? quales enim Iudices & conſiliarios promittit Dominus ſe ſciſcitaturum ad Eccleſiam inſtaurandam? nōne veros ac legitimos, & qui probè ſuo munere fungantur? Hoc certè negari non poteſt: cum futuros illos iudices Dominus comparet cum argento puriſſimo, & eos opponat corruptis & ſcleratis illis iudicibus à quibus, tãquam à capite, corruptio in totum corpus dimanarat, vt ſuperiora Eſaiæ verba declarant. Probet igitur nobis Turrianus Epifcopos & Presbyteros Eccleſiæ Romanæ eſſe veros legitimòſque Paſtores, & rectè fidelitèrque

Turriani  
argumenta  
tio diſcu-  
titur.

Eſai. 1.

In ipsum  
Turrianū  
retorque-  
tur.

obire suum munus: ac tum demum ipsi per nos licebit hanc Esaiæ Prophetiam ad eos ac commodare. Sed si ab illis, tanquam à capite superstitionum & errorum colluuius defluxit in totum Ecclesiæ Romanæ corpus, & si scoriam potius & plumbum referant quàm aurum, fateatur igitur eos esse potius iis Iudicibus similes, quos Esaias paulò antè grauissima reprehensione insectatus est. Caterū quo magis considero Turrianicū argumentū, eò magis miror militem istum Pontificiū, gladium nobis porrigere, quò suam sententiam iugulemus: nam si illi demum sunt Ecclesiarum principes & consiliarij quos Dominus suscitauit: & rursus, ex Turriánica expositione principes Episcopi, consiliarij verò sint Presbyteri: profectò nihil video loci Romano Pontifici superesse: cùm potius efficiatur ex argumento Turriani, Pontificem Romanū à Deo non esse suscitatum, qui tantum Episcopos & Presbyteros suscitauit. Præterea non animaduertit hoc exemplum Iudicium Israelis, quod ipse profert, penitus euertere quicquid hæctenus disputauit de ordinaria successione, quam in illis iudicibus fuisse, nemo, qui modò illorum historiam legerit, vnquam existimabit. Quin & verbum suscitandi satis indicat iudices illos non ordinaria quadã successione (vt postea sub Regibus) sed extraordinaria ratione fuisse à Domino ad Ecclesiæ liberationem excitatos: ne mihi Gedeonis, Samsonis, & reliquorum historiam commemorare necesse sit.

Postremò

Postremò (vt calumniari rãdem desinat Turrianus) quod dicimus Pastores ab ipso Ecclesiastico cœta eligendos & ordinandos esse quidẽ, sed cum populi testimonio & cõsensu, & (quoties id licet) accedente Christiani Magistratus autoritate: non est ita accipiendum quasi existimemus ius *χριστοθεοκρατ* esse penes Magistratum: sed hoc tantum requirimus, quod Apostolorum scripta quòdque veteres historię testantur olim fuisse in Ecclesia obseruatum. Quin & ipsis decretis Pontificiis, (aut per imprudẽtiam, aut ita cogẽte rei veritate, certẽ summã Dei prouidentia adscriptis) apertẽ constat, nõ tantum populi testimonium & cõsensum accessisse, cum Episcopi eligebantur, sed etiã ipsos Pontifices olim fuisse ab Imperatoribus confirmandos. Quid porrò sibi vult istud cõcludendi genus? Dominus suscitabit Iudices sicut prius. Ergo Episcopi & Presbyteri, neque per legem seculi, neque per suffragia populi, nec vllius Magistratus autoritate creati sunt, sed sicut scriptum est in lib. Iudic. Deus suscitabat eos. Hic non videt Turrianus cõsequi ex hoc argumento nulla esse adhibenda media, ac ne ordinationem quidem Ecclesiasticam in Episcopis eligendis: sed eos semper esse à Deo sine vlla hominum opera & *ἀνθρώπων* excitandos. Quod quia vel ipse Turrianus videt quàm sit absurdum, ergo iam hoc suum, minus etiã quàm sophisticum argumentum valere iubeat. Quia verò sibi hac in re Basilium quoque adiungere voluit, concludamus

De Magistratus autoritate & populi cõsensu in electionib. Ecclesiasticis.

can. Agatho. can. Adrianus. can. in Synodo, &c. dict. in. 63.

pag. 325.



Cōclusio.  
in. r. cap.  
Esaie

egregia hac Basilij ad Ecclesiasticos Præfectos cohortatione. Ne, inquit, vnusquisque nostrū seipsum existimet quasi Princeps sit, sed quasi cōsiliarius sit datū in populi salutem. Hac ille, quæ vtinam Romanos Episcopos ab ambiendo in omnes Ecclesias principatu auocare potuissent!

Αυτὶ φασί.

Sed iam Turriano duce Iudicū exemplum persequamur, vt ex eo nostram sententiā confirmemus. Quemadmodum olim cū status Israëliticæ politicæ euersus esset, Dominus præter ordinem Iudices excitabat, quibus ipse aderat, & per eos miserū illum populū in libertatem asserebat: similiter (vt hoc exemplum ad spirituales Ecclesiæ statū, ita Turriano postulante, referamus) cū peccatis hominum verus & legitimus Ecclesiæ status, Pontificiis erroribus, tanquā Moabitibus, Chananæis & Philistinis in Ecclesia latè grassantibus, euersus esset: Deus misertus suæ Ecclesiæ quam pretio Christi sanguine redemit, præter ordinem, spirituales quosdam Iudices excitauit, id est, pios & doctos viros quos suo Spiritu afflauit, quibus adfuit, quorumque infinitis laboribus pro summa sua misericordia benedixit, adeò vt eorum opera plerisque in locis, abiecta superstitionum scoria, doctrinæ puritas, tanquam aurum enituerit, & verus Ecclesiæ status antea collapsus, denuò fuerit instauratus.

LOCVS

LOCVS XII. I. TIM. 4 ET ACT.  
13. Adde. 1. Tim. 5. Et Tit. 1.

Ne negligito donū quod in te est, quod datum est tibi ad prophetandum cum impositione manuum Presbyterij.

Cū ieiunassent & precati essent, & imposuissent ei manus, dimiserunt eos.

Manus citò ne cui imposito, neque communicato peccatis alienis.

Reliqui te in Creta vt quæ reliqua sunt corrigas, & constituas oppidatim Presbyteros.

*Sophisma Turriani.*

Timotheus fuit ordinatus per impositionem pag. 216  
22. 23. 3024  
manuum τῶν πρεσβυτέρων, id est cæteris Episcoporum 303. 152.  
166. 1673  
rum ex Theoph. Itē Paulus cū Presbyter esset, &c.  
Antiochia electus fuit et ordinatus Episcopus. Ex  
his igitur locis, & ex Epist. ad Tim. & ad Tit.  
constat Episcoporum esse ordinare Episcopos &  
Presbyteros. Quare cū non sint Episcopi apud  
Protestantes, sequitur ipsorum ordinationes non  
esse legitimas.

*Solutio superioris Sophismatis.*

**T**Andē in locū valde lubricū se cōiecit Tur  
rianus, dū hoc argumētū in mediū addu-  
xit. Nā si ex eo depellatur, vnā profectò liturā  
superioribus omnibus argumētis induxerit. Malè sibi  
consuluit  
Turriani  
dum hoc  
argumentū  
protulit

Status cau-  
sæ.

tētix. At licet hīc causā obtineret (absit autē vt obtineat) manebunt nihilominus superiores nostræ responsiones. Hīc est igitur causæ status, liceatne Presbyteris ordinare Ecclesiæ Ministros & Pastores: quod si verū esse demonstraretur, iam redargueretur Turrianus ab ipso suo argumento, neque poterit ordinationes Protestantium improbare: quia Viclefū, Iohannem Hus, Lutherum, Zuinglium & alios quosdā viros præstantissimos, qui nobis hīc postremis tēporibus Euangelicam facē prætulērunt, constat fuisse Presbyteros, nec id etiā negat Turrianus. Ex quo efficitur illorū ordinationes nō posse dici nullas & merē laicas. Sed si ius ordinandi non habeant Presbyteri (quod obiicit Turrianus) semper tamē firmū manebit quod à nobis responsum est probatū: in tātis Ecclesiæ tenebris Deū summos illos viros donis egregiis instructos præter ordinem excitasse, vt ordinem ipsum instaurarent.

Duo præ-  
standa.

Atque vt hoc argumentū expediamus, duo vobis præstāda sunt. Primum enim probandū est, iure diuino (quo legitimæ ordinationes niti debent) nō minus Presbyteros quā Episcopos habere ius ordinādi. Deinde aliquid etiā dicendū erit de ordinaria & extraordinaria vocatione, vt facilius dispiciamus quatenus primos nostros huius ætatis doctores vocationem vel ordinariā vel extraordinariā habuisse dici possit.

Presby-  
teros hono-  
rem ius or-  
dinandi.

Episcopos & Presbyteros eosdē esse iure diuino hinc manifestū est, quod Presbyteri & Episco

& Episcopi vocabula ad ré eandem signifi- Confirm.  
ex Script.  
locis.  
cãda tanquã synonyma in Sacris literis vsur-  
pentur: vt Tit. 1. Reliqui te in Creta vt consti-  
tuas Presbyteros, &c. Oportet enim Episco-  
pũ esse inculpatum, &c. 1. Pet. 5. Presbyteros  
compellans, Pascite, inquit, gregẽ qui penes  
vos est, ἐπισκοπέετε. Act. 20. Paulus Presbyte-  
ros Ephesinos adhortans, Attendite, inquit,  
vos ipsos, & totũ gregem in quo Spiritus san-  
ctus vos cõstituit Episcopos ad pascendã Ec-  
clesiã Dei. Ad Philip. 1. Paulus salutat omnes  
sanctos qui erãt Philippis vnã cũ Episcopis  
& Diaconis. Ex quibus posterioribus locis  
manifestũ est, plures olim fuisse vnus vrbs  
Episcopos, nẽpe totidem quot Presbyteros:  
Cum tamẽ inter Pontificios vna vrbs nõ alat  
duos Episcopos, non magis quã arbor vna  
duos erythacos. Quinctiã Ephes. 4. vbi Pau-  
lus recẽset præcipuã Ecclesiã munera, Pasto-  
res & Doctores nominat, certẽ nõ omisurus  
eximium illum Episcoporũ ordinẽ & gradũ,  
siquidẽ tũc inter Presbyteros eminebãt. Nã  
Turrianus nõ auderet Presbyteris Parochis  
denegare Pastoris nomen, cum (vt ipsi Ponti-  
ficij loquuntur) curã animarũ habeant. Ergo  
si vera est Turriani sententia, debuit Paulus  
inter Pastores distinguere quemadmodũ di-  
stinxit Apostolos ab Euangelistis: & Euange-  
listas ab ordinariis Pastoribus. Nã omnes il-  
li quidẽ erãnt Pastores, sed quia certis gradi-  
bus differebant, idcirco Paulus alios ab aliis  
distinguit, idem proculdubiò facturus in Epi-  
scopis, si eorũ vocatio ab aliorũ Presbytero-

rum gradu distincta esset. Quamobrè si quis diligenter ad hunc Pauli locum attenderit, & circumstantiã loci notauerit, non dubito quin facile nobis assentiatur. Huc accedit quod idem Apostolus Presbyteros cõmendans Ecclesiis 1. Timot. 5. Qui bene præfunt Presbyteri, inquit, duplici honore digni habentor, maximè qui laborant in sermone & doctrina. Num obsecro superiorem illum Episcopatus gradum hìc omisisset Apostolus si tunc locum in Ecclesia habuisset? Ita igitur

- ex hoc Pauli loco argumentemur: Cùm Paulus eos describit qui sunt inter Presbyteros præstantissimi, dicit eos laborare in sermone & doctrina. At Presbyteri æquè possunt

Can. Ecce  
ergo. Dist.

85.

Hier. ad  
Nepot.  
&c.

laborare in sermone & doctrina ac Episcopi (quod quidè Turrianus non negabit, qui licet nõ sit Episcopus, sibi tamè videtur egregiã operã nauare in scribèdo & docèdo) nihil ergo habet Episcopus quo Presb. antecellat.

Obiectio  
Turrian.

De loco 1.  
Timot. 5.

Refutat.

pag. 152.

Quid signi-  
ficet πρεσ-  
βυτέρων a  
pud Paulũ.

Sed audiamus quid cõtrà Turrianus obijciat, Paulus, inquit, Timotheo gratiam fuisse datã ait, cū impositione manuum Presbyterij, id est, cœtus Episcoporum, quia Theophylactus ait τὸ πρεσβυτέρων significare τῆς ἀποστολικῆς κληρονομίας ἕξω κέντρον. Hæc Turrianus: qua in re non illi cõuenit cū aliis quibusdã scholasticis doctoribus qui ante aliquot annos in hanc ipsam arenã nobiscū scriptis editis descenderunt: imò Turrianus ipse agnoscit se nuntiũ remittere priori suæ sententiæ quam explicauit in libr. de Hierarchicis ordinationibus: nempe quòd Presbyteriũ apud Paulũ signi-

ficauerit

ficauerit ipsum munus & gradum Presbyteri. Sed ut illud omittam, non video quamobrem Theophrasti verba ad solos Episcopos necessario restringenda sint, cum possint etiam recte Presbyteris convenire, ut qui sint Apostolicæ gratiæ, suo modo, participes. Cæterum longè pluris facio Lucam qui cap. 22. historiæ Euangelicæ, τὸ πρεσβυτέρειον usurpat pro eorum omnium confes-  
 su qui præerant Ecclesiæ Hierosolymitana. Presbyteros autem esse, præfectos Ecclesiasticos nemo negauerit. Præterea quis non videt πρεσβυτέριον καὶ τὸ πρεσβυτέρων dici non autem καὶ τῶν ἐπισκόπων. Sed quia Turrianus maxime ducitur auctoritate Romani Episcopi, proferamus ergo Cornelium Romanum Episcopum (nempe testem aduersus Turrianum longè grauissimum) Presbyterium pro Presbyterorum confes-  
 su usurpantem: sic enim ille ad Cyprianum scripsit apud eundem Cyprianum lib. 3. ep. 11. Omni, inquit, actu, ad me perlato, placuit contrahi Presbyterium. Adfuerunt etiam Episcopi quinque, &c. Quid ais Turriane? tunc audeas Romano Episcopo aduersari? at ille nominatim Presbyterium ab illis quinque Episcopis distinxit: adeo ut iam nobis Scriptura duce & assentiēte, ipso Romano Episcopo concludere liceat, Presbyterium esse cœtum & confessum Presbyterorum, non autem Episcoporum quales intelligit Turrianus. Hoc autem nomen Latinè exprimes Hieronymus (quod ipsi Pontificij in sua decreta retulerunt) dixit Senatū Ecclesiasticū. Quæ cum ita sint, restat ut hunc Pauli locum nostræ scēticiæ

Can. Eccle-  
 sia 17. qu. 1.

Locus in  
Turr. re-  
torquetur.

propriū vendicemus, quem Turrianus nobis tanquam iustis possessoribus eripere conatus est. Ita igitur dicamus: Cum Presbyterium sit Presbyterorum cœtus (vt probatum est) & Paulus testetur ordinatum fuisse Timotheū à Presbyterio: consequitur Presbyteros habere ius ordinandi, idque expresso Dei verbo, quicquid postea ab hominibus fuerit constitutum.

De Epist.  
ad Timot.  
& Titum

Ex iis autem quæ ad Timotheum & Titum scripsit Apostolus, perperam colligit Turrianus Episcopalem dignitatem. Nam eos non fuisse Episcopos vel hinc apparet, quod nunquam certis sedibus alligati, sed peregrinationū Pauli socij fuerint, & prout res Ecclesiæ postulabant modò ad hanc, modò ad illā Ecclesiam missi sint. Hoc autem alienū esse ab Episcopatu vel ipsi Pontificij satis agnoscunt. Idcirco quæcunque ad Timotheū & Titum scripsit Paulus de ordinandis Ministris, aut de accusationibus in eos audiēdis, non sunt ad eorum personas restringenda: sed sub eorum persona Paulus omnes Ecclesiæ Præfectos voluit officij sui admonere. Fa-teor tamen Timotheum & Titum eminuisse inter ordinarios Ecclesiæ Ministros non tanquam Episcopos, sed tanquam Euangelistas (vt colligere licet 2. Tim. 4.) qui gradus erat quidem superior Episcopis vel Presbyteris, id est, ordinariis Pastoribus (vt antè vidimus ex 4. cap. ad Ephes.) sed tantum ad tempus, quod quidem & ipsa experientia satis docet, & doctores nostri multis rationibus

Pag. 294.

confir-

confirmarunt. Nolim autem prætermittere quàm parû sibi constet Turrianus, dum vocat Titum Archiepiscopû Cretensem: nam ex eo sequeretur, ordinationes à solis Archiepiscopis esse faciendas, contra sententiam ipsius Turriani. Verumenimvero illa nomina Archiepiscopi, Archipresbyteri, Archidiaconi, *ἀρχιεπίσκοπος*, id est, primæ Ecclesiæ temporibus non fuerunt, sed ea, longè postea, hominum fastus & ambitio inuexit, vt faciliè colligi potest ex ipso Lombardo quem Pontificij Magistrum appellant. Sic enim ille de Archiepiscopis, Primatibus & Metropolitanis differens: Horum, inquit, discretio à Gentilibus introducta videtur, qui suos flamines, alios simpliciter Flamines, alios Archiflamines, alios Protoflamines appellabât. Hæc ille Sententiarum Magister.

Sent. lib. 4.  
Dist. 24.  
Can. decretis. Dist. 21.  
Lôbardus Scholasticorum Doctorum magister, verissimâ Archiepiscoporum & primatum Etymologia attulit.

Venio nunc ad alterum locum nobis obiectum, in cuius enarratione Turrianus apertè prodidit quàm sit syncerus & fidelis Scripturarum interpres. Erant, inquit Lucas in Ecclesia Antiochena quidam Prophetæ & Doctores. Quid hîc Turrianus? Prophetas, inquit, vocat Episcopos, & Doctores Presbyteros. Lucas autem subiungit ordinationem Pauli & Barnabæ qui erant ex Presbyteris siue doctoribus, vt intelligamus eos ex Presbyteris ordinatos esse Episcopos. Tuâne hæc verba agnoscis, Turriane? Paulum igitur præstantissimum illum Apostolum, à Deo non ab hominibus neque per homines vocatû, & iam tunc per multos annos Apo-

De loco

Act. 13.

Expositio Turriani refutatur.  
Turr. Paulum ex Apostolo Presbyterum facit, & ex Presbytero Episcopum.



In attestati-  
one præ-  
fixa libr.  
Turriani.

Turriani  
cōmentum  
in ipsum re-  
torquetur.

stoli munere fungentē, tu nouus Iesuita sci-  
licet deturbatis ex Apostolico gradu, vt eum  
in tuorum Presbyterorum classē reicias?  
Niger ergo & Lucius, & Manahem (quorum  
meminit Lucas) erant Episcopi Paulo supe-  
riores, & ipse Paulus erat tantū Presbyter  
ordinarius Ecclesiæ Antiochenæ. Obscuro  
quæ hæc impudētia est, nō Turrianū Iesuitā,  
non omnes Iesuiticos sodales, non Theodo-  
ricum Coloniensem inquisitorem hæreticæ  
prauitatis (vt loquitur,) nec tamen insignis  
huius erroris & prauitatis correctorem, sed  
totius libri approbatorem, denique non ip-  
sum Pontificem pudere huius Turrianicæ:  
non expositionis sed deprauationis? saltem  
Sophistam ageres, Turrianiæ, non autem in-  
iuriam etiam ipsis Apostolis faceres, dū eos  
conuertis in ordinarios vnius Ecclesiæ Pres-  
byteros, qui sint etiam ipsis Episcopis infe-  
riores. Caterū vide quā hęc tua exposi-  
tio licet planè ἀθεόλογος, parum tamen adiu-  
uet tuā sententiā. Vis enim Prophetas apud  
Lucam fuisse Episcopos. Atqui illi Prophetæ  
erāt ordinarij Pastores Ecclesiæ Antiochenę  
vt cōstat ex verbo λαελοῦργεῖν illic vsurpato, cu-  
ius propriam significationem, tu qui toties  
ἐλληνίζεις, nō ignoras: Pōtificij verò Episcopi  
(vt iā antè dictū est) eiusdē vrbs plures esse  
nō possunt, imò potius multas vrbes singuli  
suis sedibus subiiciūt. Restat igitur vt illi E-  
scopi quos dicis fuisse in Ecclesia Antioche-  
na, idē fuerint cū iis quos Presbyteros appel-  
lamus. Afferro & aliā probationē ex I. ad Cor.

c. 14. ubi Paul<sup>9</sup> ait in Corinthiorū Ecclesia plu-  
res fuisse Prophetas. Si ergo Prophetę erant  
Episcopi (quemadmodū existimas) sequitur  
multos fuisse Episcopos eiusdē Ecclesię, eos  
dēmq; ordinarios Ecclesię pastores. Ex quo  
rursus efficitur eosdē fuisse tūc Episcopos cū  
Presbyteris Ecclesię Doctoribus. Hoc autē  
ipsum confirmat vis & natura ipsius ordina-  
tionis. Quid enim aliud est ordinatio quā  
eius cōsecratio qui eligitur ad Ecclesiasticū  
Ministeriū, adhibita manuū impositione, tā-  
quā symbolo, tū publicę precationis, tū etiā  
ipsius cōsecrationis? Si ergo Presbyteri ius  
habēt prædicandi & baptizandi, adeo etiā eli-  
gēdi Pastores Ecclesiasticos (quādiu discipli-  
na in Ecclesia locū habuit) cur tanquā indi-  
gni reiiciētur à manuū impositione? Veteres  
autē argumētatos fuisse a Baptismo ad Ordi-  
nationē patet ex Magistro Sentent. lib. 4. Di-  
stin. 25. Nihil igitur causę reperias quam ob-  
rem Presbyteri ius ordinandi non habeant.  
Quinetiā miror te hoc ipsum in Pontificiis  
decretis non animadvertisse. Sic enim scri-  
ptum est in Can. Presbyter. Distin. 23. Pres-  
byter cū ordinatur Episcopo eum benedi-  
cente, & manu super caput eius tenente, etiā  
omnes Presbyteri qui præsentēs sunt ma-  
nus suas iuxta manus Episcopi super caput  
illius teneant. Ex quibus verbis colligitur  
Presbyteros non olim fuisse iure *temporarię*  
exclusos. Dicit Turrian<sup>9</sup> in hoc Canone fieri  
mentionē Episcopi benedicētis: quod quidē  
fateor, & iā tunc Presbyteros fuisse subiectos

Presbyte-  
ros habere  
ius ordinā-  
di probatur  
ex ipsa na-  
tura ordi-  
nationis.

Item ex  
Decretis  
Pontific.

Episcopis, ex ipsa ratione temporum satis intelligo: sed vt ille quondam ex vestigio pedis Herculis, totius corporis staturum & proceritatem colligebat: ita dico, ex hoc tenui fragmento colligi posse quanta olim in ordinationibus Ecclesiasticis fuerit Presbyterorum authoritas.

Responſio ad obiectio-  
nes veterū. Longum verò cathalogū veterū recenses, vt nobis probes Episcopos esse Presbyteris superiores, & identidē reperis Clementinas illas constitutiones nomen Apostolorum e-  
mentitas. Paucis respondeo: superiorem illum Episcoporum gradum vetustissimum quidem, sed tamen humanum institutum esse, quò pij maiores Schismaticis occurrere voluerunt. Et quanquam fortassis habita tēporum illorum ratione, remedium illud nō fuit inutile, experiētia tamen docuit, bonos illos Patres dū Charybdim vitare cuperent, in Scyllā incidisse. Nam quæ subsecuta est Episcoporum ambitio, non minus exitialis fuit Ecclesiæ, quàm illa schismata: & (verè vt dicam) hoc fuit schisma omnium perniciosissimum, cum ab Euangelij puritate & à vera doctrina diuortium factum est, & Spiritualis Ecclesiæ disciplina fuit in regiam authoritatem terrenāque potentiam commutata. Quamobrem, Turriane, dum veterem Episcoporum ordinem toties inculcas, dum nobis Corneliū, Fabianū, Cyprianū, & alios eiusmodi pios & sanctos Episcopos cōmemoras, tu planè res dissimiles coniungere conaris, quandoquidem tui Episcopi,  
præter

præter hoc Episcopi nomē, nihil habent cum illis veteribus cōmune. Absit autē vt quicquam de piōrum Episcoporū virtute & probitate detractum velimus: hoc enim tantum agimus vt superiorē Episcoporum gradum, non iure diuino fundatum esse, ex Scriptura confirmemus. Concludamus igitur, cum superior illa dignitas Episcopalis humanis tantum institutis asseratur, tantum esse humani iuris: contra cum expressis Scripturæ testimoniis pateat Apostolorum temporibus Episcopos fuisse cum Presbyteris exæquatos: iure Diuino potestatem ordinandi non minus Presbyteris quam Episcopis conuenire.

Quid autem si ab illis ipsis veteribus petamus sententiæ postre confirmationē? Sic enim Hieronymus: Apud veteres, inquit, idem Episcopi & Presbyteri fuerunt, quia illud nomen dignitatis est, hoc ætatis. Idem Apostolus perspicuè docet eosdē esse Presbyteros quos Episcopos. Quod autem postea vnus electus est qui cæteris præponeretur, in schismatis remedium factum est. Idē: Antequam Diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi Presbyterorum consilio gubernabantur: postea in toto orbe decretum est, vt vnus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatū semina tollerētur. Sicut ergo Presbyteri sciūt se ex Ecclesiæ cōsuetudine ei qui sibi præpositus fuerit esse subiectos:

Olīm Presbyteros eosdē fuisse cum Episcopis. ex ipsis veteribus.

Ad Oceanum.

Ad Euagr. In 1. cap. ad Tit.

In 4. Eph.

In 1. ad Ti  
moth. 3.  
Epist. 19.Can. Clero  
Dist. 21.Sentent.  
lib. 4. Di-  
stin. 24.Orat. in  
Maxim.

ita Episcopi nouerint se magis cōsuetudine  
quàm dispositionis Dominicæ veritate Pres-  
byteris esse maiores. Sic etiam Ambrosius:  
Primum Episcopi Presbyteri appellabātur,  
vt recedente vno sequens ei succederet: de-  
nique apud Ægyptum Presbyteri consignāt,  
si præsens non sit Episcopus: sed quia cōpe-  
runt sequentes Presbyteri indigni inueniri  
ad Primatus tenendos, immutata est ratio  
prospiciēte Concilio, vt non ordo sed meri-  
tum crearet, &c. Idem Episcopus est primus  
Presbyter, &c. Sic porro Augustinus: Quā-  
quam secundum honorū vocabula quæ iam  
Ecclesiæ vsus obtinuit, Episcopatus Presby-  
terio maior sit, tamen multis in rebus Augu-  
stinus Hieronymo minor est. Sic quoque  
Gratianus ex Isidoro. Apud veteres iidem  
Episcopi & Presbyteri fuerunt: quæ verba  
etiam citat Lombardus. Ac ne plures locos  
accumulem, concludam hoc præclaro voto  
Gregorij Nazianzeni: Vtinam, inquit, nulla  
esset throni prerogatiua! nunc autē dextrū  
hoc latus & sinistrum & mediū, sublimior &  
inferior sedes, & illa præeundi vel eodē gra-  
du incedendi inuecta consuetudo, nos in  
multas partes confregerunt. Ex his igitur &  
consimilibus locis planum factum est, Epi-  
scopos humano iure & decreto atque Eccle-  
siæ consuetudine & viū (his enim omnibus  
vocalibus veteres vtuntur) Presbyteris esse  
superiores. Quæro ergo, Turriane, antequā  
illa Episcopi & Presbyteri distinctio intro-  
ducta esset, inuentūque esset illud schisma-

tis remedium, antequam decretum esset (ita prospiciente Concilio) vt vnus ex Presbyteris cæteris superponeretur: tum, inquã, cum Ecclesiæ communi concilio Presbyterorum gubernabantur, necdum illa honorum vocabula Ecclesiæ vsus o<sup>b</sup>tinuerat, quæro, num ordinationes quæ tum fiebant, dicendæ sint nullæ, irritæ, ac merè laicæ, quemadmodum de nostris ordinationib<sup>9</sup> loqui soles. Quòd si pergis, contende igitur cum Hieronymo & eiusmodi veteribus, atque illis scutum illud tuum Clementinum quantumlibet opponito: at nos interim certis & firmis testimoniis Scripturæ freti, nostras ordinationes veras ac legitimas esse dicemus.

Superest, quod nos posteriori loco tractaturos promissimus, vt aliquid etiam dicamus de ordinaria & extraordinaria vocatione, & vtra censenda sit eorum vocatione, qui primi nostris temporibus Ecclesiam reformarunt. Ordinarium duobus modis intelligitur. Aut enim id significat quod legitimum ordinem sequitur, & ab eo pendet: Aut id quod in more est positum, atque ipso vsu & consuetudine nititur.

2. De ordinaria & extraordinaria vocatione.

Sæpe enim in legitimi ordinis perturbatione, quædã etiã ordinis effigies seruari solent. Itaque si propriè loqui volumus, Ecclesiæ Romanæ & eius Episcoporum successio nõ potest dici ordinaria, quia ab ordine quẽ instituerunt Apostoli discessit: nostrorũ autẽ Pastorũ vocatione nõ potest dici nõ ordinaria, si ordinẽ spectemus ab Apostolis institutum, an primi Doctores Ecclesiæ reformatæ habuerint vocationem ordinariã, an extraordinariã.

licet à recepto vsu Ecclesię Romanę descie-  
 rint. Nam præclarè à corrupto ac violato or-  
 dine receditur, vt ad integrum & verum or-  
 dinem redeatur. Sed si *ὁμωνύμως* ordinem ac-  
 cipimus pro vulgato more & vsu, tunc cense-  
 bimus primos illos Ecclesię Reformatę Mi-  
 nistros vocationem extraordinariã habuisse.  
 Et certè quãuis Dominus nõ omnino negle-  
 xerit obscura illa vestigia Ecclesię, quę Põtifi-  
 ciis remãserũt) nã reformatores Ecclesię no-  
 bis excitauit ex ordine Presbyterorũ & Do-  
 ctorũ Ecclesię (vt antè dictũ est) plurima tamẽ  
 in Ecclesiis nostris instaurandis præter morẽ  
 solitũ extiterunt. Nã (vt alia prætermittã) hoc  
 fuit nõ tantũ extraordinarium, sed planè  
 miraculosum, quòd in crassissimis illis tene-  
 bris Deus viris illis præluxerit, adeò vt erro-  
 res Ecclesię Romanę perceperint, eosque ex  
 puro Dei verbo repurgandos esse cõfuerint,  
 atque ab ipsius diuini verbi fontibus purita-  
 tem cum in Doctrinã tum in Sacramentis &  
 legitimã Ecclesiasticã rationem haurien-  
 dam esse docuerint, & ex ipso Dei verbo con-  
 firmariot. Ita Dominus non tantũ abster-  
 sit illas superstitionum sordes & corruptelas  
 quę pro ratione temporum obrepserant in  
 ordinariam eorum vocationem, sed eam e-  
 tiam magis ac magis sanctificauit, ac longè  
 præstantiorem reddidit, vt eorum labores nõ  
 ad vnã tantũ Ecclesiam aut gentem per-  
 tineret, sed longè latèque per vniuersum ter-  
 rarum orbem diffunderentur. Et quemad-  
 modum Lazarus in sepulchro erat tantũ  
 nomine

nomine Lazarus, ac reuera cadauer quatri-  
duanum & foetidum, verum accedente ver-  
bo Dei, & vocante Christo, statim vita rediit,  
adeò vt re & nomine Lazarus in lucem pro-  
dierit: ita primorum illorum Doctorum suc-  
cessio & vocatio, quæ per se quidem erat  
mortua, & vocationis potius cadauer, quàm  
vera vocatio propter corruptiones Pontifi-  
cias, vocante Christo & Spiritum suum in-  
fundente, cœpit reuiuiscere & obire pro-  
prias functiones, atque adeò longè nobilio-  
res. Ita factum est, vt in Euangelicis ac Re-  
formatis Ecclesiis instauratus fuerit legiti-  
mus ordo Ecclesiæ, ex quo Pastores ordina-  
rij inter nos continua successione propagā-  
tur. Quæ cum ita sint, concludimus, siquid  
boni sit in illa continua & ordinaria succes-  
sione quàm Pontificij iactant, totum id in  
primorum illorum vocatione extitisse. Con-  
trà, quicquid mali, corruptionis, & supersti-  
tionis est in illa successione, sublatum id to-  
tum ac deletū fuisse summa Dei misericor-  
dia, qui tantam lucem in eorum mentibus  
accendit, vt faciliè potuerit eiusmodi tene-  
bras discutere. Sed de his hætenus.

Quamobrem ex iis quæ à nobis disputa-  
ta sunt, faciliè potest intelligi, Turriani sen-  
tentiam de ordinatione à solis Episcopis fa-  
cienda (quo fundamento in primis ordina-  
ria Episcoporum Pontificiorum successio  
nitebatur) nullis Scripturæ locis confirma-  
ri: & quos nobis obiicit Turrianus eos ab ip-  
so fuisse corruptos & in alienum sensum



detortos, quemadmodum ex ipsorum locorum circumstantiis manifestè probauimus. Reliquum est igitur vt ita aduersus Turrianum argumentemur.

Αντίφασιν

Presbyteri, si non humanis decretis, at certè Apostolicis institutis habent ius ordinandi (quod superiori disputatione confecimus.) Illi verò qui hac etate Ecclesiam primi reformarunt, erant Presbyteri (quod agnoscit Turrianus.) Quare primi illi Doctores quos à Domino excitatos pij ac fideles agnouerunt pro veris Doctoribus, potuerunt in Ecclesia Reformata Ministros ac Pastores ordinare: idque iure Diuino cui humanæ constitutiones derogare nihil possunt.

Ανεκείθε-  
δαίωσις.

Hæc sit igitur ἀνεκείθε δαίωσις totius disputationis. Turriano fuit propositū, nostrorum Pastorum ordinationes euertere hoc argumento, quòd non nitantur ordinaria Ecclesie Romanæ successione sub autoritate & principatu Romani Pontificis, à quo ipsa Ecclesie successio diuelli nò possit. Nos autem vt hoc argumentū solueremus duo præcipua eius membra discussimus, nempe Romani Pontificis Principatū: Et ordinariam Ecclesie successione. Quod attinet ad Romanum Pontificem, demonstrauius eum non esse caput Ecclesie, cum id sibi Christus tanquam proprium vendicet: Petrum verò nullum ius in reliquos Apostolos habuisse, nullumque in Ecclesia Catholica principatum: & si habuisset, ad successorem transmittere

tere non potuisse: & si potuisset, non ad Romanum potius Episcopum. quàm ad Antiochenum, Hierosolymitanum, aut alium quemuis earum Ecclesiarum in quibus aliquando Petrus docuit: & si ad Romanum potius, non propterea ad Pótifices, cum neque Romane Ecclesie Episcopi, nec Episcoporum Romano rum veri successores sint, imò ne Episcopi quidē. Quantū verò spectat ad successionē, hanc distinctionem adhibuimus, vt quādiu quidem steterit, & conspicuus fuerit ordo legitimus Ecclesie, tandiu nobis colenda sit visibilis & ordinaria Pastorum successio. At illo ipso ordine interrupto & collapsō, diximus Deum præter ordinē, vel potius præter morem solitum, quando & quibus modis voluerit, verum ac legitimum ordinem Ecclesie instaurare, per eos quos, ad illud opus suo imperuestigabili consilio delegerit, & excitarit: nec ipsam Ecclesiam vllis esse personis, locis, temporibus, nulli denique visibili formæ alligandam: atque ostendimus nō ad cœtus visibiles & ad particulares Ecclesias, sed ad electorum Catholicā Ecclesiam, promissionē de perpetuo statu pertinere. Quinetiam addidimus ineptē facere Turrianum & omnes eius commilitones, dum obiiciunt nos planē esse omni successione destitutos: quandoquidē constat, ipsis etiam assentientibus, præ nos huius ætatis Ecclesie reformatæ Doctores habuisse illam successionem & vocationem, quam Pontificij tantopere com

mendant. Quo loco refutauimus errorem Turriani *ad* *χρισποθεολας*, quam ad solos Episcopos pertinere & ordinationes ab iis solis faciendas esse, contra expressum Dei verbū, affirmabat. His igitur ita pertractatis, relinquitur falsum esse quod proposuit Turrianus, Pastorum nostrorum ordinationes esse nullas, irritas, & merè laicas. Atque ita dicendum potius, eas esse veras, legitimas, & verè Ecclesiasticas, vt quæ non humanis institutis, sed firmissimo verbi Dei fundamento, & certissima veritate nitantur.

L A V S D E O.



